

CANCELL.
MARTIS B.
1716.*

IX. Br. 99

55.

Sod.

~~D. S. IV X~~

~~XVIII. g. &~~

AB

DISSERTATIO SOLENNIS
DE
BONIS LAUDE-
MIALIBUS,

QUÆ

von

Gehn- und Erbzins-Gütern

vocamus,

Occasione Constitutionis de Anno 1322.
in hac Repub. editæ, conscripta.

Quam
D. T. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

*VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI,
CONSULTISSIMI ET EXCELLENTISSIMI*

DN. JOHANNIS SCHILTERI, JCTI

Celeberrimi, Reipub. Patriæ Consiliarii Primarii Splendi-
dissimi, & Professoris Honorarii meritissimi in Illustri Argentoraten-
sium Universitate, Patroni, Præceptoris & Promotoris sui,
devote semper devenerandi

Publico Eruditorum Examini ventilandam
proponit

Die Apr. A. S. R. M D C XC.

PAULUS GOTHOFREDUS GAMBS.

*ARGENTORATI,
Literis JOH. FRIDERICI SPOOR.*

R. 1713.

Dissertatio Solenis

50

BONIS FALDE MATERIALIBUS.

tertii. O. amicis. Cui. 68

Oscillographic Contingencies of Anode 1 332

DR. JOHANNIS SCHILLERI, ETI
M. A. D. T. G. M. A.
N. V. N. O. R. V. E. R. A. M. P. L. U. S. I. M. I.

DR. JOHANNIS SCHILLERI, 1711

*Chepachetum, Xylopus, Psara, Cophurina, Pimeli, Splendida,
Euphorbia, Eriosoma, Leucania, Lycia, Agonopterix.*

11. 5

Papio lemurinus Eunomia acutirostris
byzantinus

PATRER NOSTER DOMINUS CONSTRUCTOR
PATRER NOSTER DOMINUS CONSTRUCTOR

ALLEGORICAL
POETRY.
BY JOHN DODD.



I. N. D. N. J. C.

Proemium.

Nmateria ad quam tractan-
dam præ cæris ejusdem nos invitavit
dignitas, ut penitus naturam penetre-
mus, non inconveniens esse duximus,
generalem præmittere Juris divisionem,
qua scil. vel ad personas pertinet vel ad res, vel ad u-
triusque persecutionem §. ult. *J. de J. N. G. & C.*
Rerum nomine, hoc loco omne id comprehendi di-
cimus, quod sub personarum non venit, nec actio-
num aut persecutionum, *l. 204. ff. de R. I.* societatis ta-
men Civilis pars est, sive sint corporales sive incorpo-
rales & jura. Cum alias generalius loquendo imo gene-
ralissime, actiones quoque & personæ, etiam res sint,
hoc ita verum est, ut & dationem rei & præstationem
facti, aut patientiæ quoque contineat, sic pro facto su-
mitur in *l. 4. ff. de O. & A.* Jus autem, quod circa res,
in præfato significatu, habemus, secundum *Excell. Dn.*
Schragii, JC. & P.P. celeberrimi & Præceptoris mei ve-
nerandi sententiam, quam peculiaribus Dissertationi-
bus cum magna accuratione exposuit, est vel nniversale

A

vel

vel singulare: juxta communein vero est vel in re vel ad rem, Juris in re, alii tres, alii quatuor, alii quinque constituunt species. Nobis hactenus ad nostrum scopum perinde est, existimantibus vocabulum Dominii etiam in laxiore significatu accipi, quā & Universitates complectitur, & jura in re aliena, §. ult. J. per quas pers. cui acquir. §. 2. & 7. J. de hered. qualit. & diff. l. 1. §. 12. de success. Edict. l. 54. de A. R. D. quanquam magis est, ut Hereditatem & Dominium distinctas faciamus species, ut ostendit etiam Dn. Presid. Exercitat. ad π. XV. 35. Et si porro Ius in re singulari vel sit in re sua, ut Dominium & Possessio qualificata: vel in re aliena Seivitus, Pignus, Possessio nuda, l. 66. §. 6. de leg. 2. alii tamen ut dixi, non adeo anxii sunt in divisionibus his & subdivisionibus, exemplum forte Veterum Iutorum Romanorum sequentes, σωματέως enumerando potius species rerum, non αὐθινεπίτικας, quam easdem rite sibi invicem secundum Regulas analyticae artis subordinando. Ita Ulpianus l. 5. de pac. tres] recenseret species Conventionum, quæ L. L. seqq. explicantur, Conventio Publica, Legitima & Juris gentium, quum tamen ipse propterea non diffiteatur διχοτομίᾳ, qua duæ species constitundæ, subordinatis aliis, ait: aut enim ex publica causa sunt, aut ex privata. Privata aut legitima, aut Jurisgentium. Nos de Dominio proprio disto occupamur. Luculentius autem Dominium statim in limine dispescitur in plenum & minus plenum. Imp. Justinianus l. 6. de bon. que lib. innuit fundamentum hujus divisionis: in bonis quæ liberis non ex patris substantia, in cujus potesta- te sunt, sed ab aliis quibuscumque causis acquiruntur, ut ea NON IN PLENVM, sed usque ad usumfru-
ctum,

clum, pater acquirat. Multo magis ergo acquisitio
 non in plenum sit dominium, si non tantum ususfru-
 ctus abest, sed & utile dominium, & jus alienandi ple-
 ne. *Plenum* dicitur, quod omnibus suis partibus con-
 stat in persona Domini; partes autem sunt præcipue
 hæ, jus habendi pro suo, l. 13. de A. R. D. l. 52. §. 10. ibi:
Deinceps Rem propriam habebit. ff. pro socio l. 1. §. 1. ff. ad
SCTum Silan. Libere administrandi & disponendi, uten-
 di, fruendi, alienandi, in quo hujus juris major vis con-
 sistit. *Vid. Bocer. Cl. 5. D. II. th. I.* ex quibus si qua parti-
 cula abest, *Minus plenum*, quod primæ divisionis alte-
 rum est, oritur, quod iterum dividitur in Naturale &
 Civile, itemque in directum vel utile, de quibus Do-
 minii ut & aliis divisionibus satis actum à G. A. de A.
 R. D. & Dd. ad eundem titulum. Non prætereunda est,
 quæ occurrit, in divisionis Dominii minus pleni mem-
 bro, differentia quædam: non semper videlicet, dene-
 gata aliqua Dominii translati particula, nasci Domi-
 nium plenum ex utraque parte, sed saltem ex una, ex al-
 tera vero in inferiorem Juris in re alienata reservati, gra-
 dum faciat translatio: qui vocatur *Jus in realiena gene-*
ratim. Cumque ut iam dictum præcipua Dominii
 pars sit jus alienandi, etiam ex Philosophi sententia, du-
 ples oritur porro divisio partium Dominii, aut sine ju-
 re rem alienandi aut cum eo, ex priori ortum trahunt
 servitutes tum Reales tum Personales, ex posteriori *mi-*
nus plenum Dominium, etiam ex parte ejus, in quem
 transfertur, veluti *Dominium Utile*, quod dicitur in re
 feudali, Emphyteutica, Censitica, & Laudemiali. Qua-
 tuor enim species constitutas esse de jure nostro, quo
 utimur, deinceps ostendemus, quarum postrema spe-
 cies

cies nostro idiomate vocatur Chrysostomus Gut / ac peculiarem & separatam a ceteris bonorum speciebus naturam obrinuit. Cujus Thematis naturam præmissis hisce præmittendis ab gubernante Divini Numinis Clementia , observata huic materia congruente methodo , pro ingenii Viribus , examinabimus. Faxis Sancta Trinitas , ut conatus noster succedat FELICITER.

§. I.

Diximus quatuor esse species Domini Directi & Utiles , pro diversitate scil. bonorum tanquam materiarum cui inhærent. De feudalibus & Censitibus nunc non agamus , sed hoc potissimum nobis incumbit demonstrare , non omnia bona Emphyteutica esse laudemalia , neque omnia Laudemalia esse emphyteutica , sed duas esse species separatas , et si misceri possint. Neque hoc mirum videri debet , quum idem deprehendatur in bonis feudalibus , quæ quum in genere Investituræ & quoad Dominium minus plenum cum Emphyteuticis convenient , & utrumque Lehn sit & appelletur , constat tamen feuda non omnia esse Laudemalia , docente Rosenth. de Feud. C. VI. Conclns. 66. Franzk. de Laudem. l. 4. 8. seqq. Struv. de Feud. l. X. 12. 4. Quæ ut clarius explicitur , videndum est in primis , quid sit Emphyteusis , & quid Laudemium.

§. II.

Rei Emphyteuticæ Origo ad Jus Gent. quin referatur , nihil video , quod obstet : eoque forte referri posset , quod Ægyptiorum bona allodialia naturam fiscalinorum induerunt , procurante Josepho , ac canonem annum , quincam partem proventus , præstarunt Genes. XLVII. Sed aliis gentibus omissis , ad Romanos atque Teutonicas respiciamus. Atque Romani Veteres quum fundamenta Monarchia sensim jacerent , agros bello occupatos in cultos quidem ac desertos auctio-

auctiōnantes ἐπὶ τίλαι τὸν ἔτνοιῶν παρατῶν δεκάτην μὲν τῶν σπεργούεντων πέντην δὲ τῶν Φυλωμένων sub vestigali annuorum fructuum, acci-
ma quidem satorum, quinta vero plantatorum, scribit Appian. l. 1.
de bello Civ. Atque Plutarchus in vita Gracch. refert: Populum
Rom. agrum suburbanum, quem bello paraverat, partim vendidisse sub
hasta, partim publicum fecisse, & tenuioribus civib[us] concessisse, αὐτὸς Φο-
ρᾶς πολλὰν εἰς τὸ δημόσιον τελέσων, exiguam pensionem arario pre-
stantibus. Aliam occasionem Livius lib. XXXV. 13. refert:
creditoribus ararii agri publici, quæ intra L. lapidem esset,
copiam factam. & in jugera asse vestigales, testandi causa pu-
blicum agrum esse, impositos, cum facultate restituendi pro
pecunia data, quæ tertia pars fuit, unde Trenius ager apella-
tus est. Alia denique ratione per locationem conductionem
in perpetuum agri vestigales constituti sunt. De his agris
vestigalibus nonnulla ex Patulo & Ulpiano nobis servavit
Tit. II. si ager vestigialis, i. e. Emphyteuticarius pertinet. ex quibus
constat agros Vestigales fuisse publicos & Dominio Reip. ait:
Qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt a municipibus,
quamvis non efficiuntur Domini. At sunt tamen Domini, ita
enim Imperator Constantinus M. l. un. C. Th. Com. divid. & Flo-
norius l. 5. C. Th. de Censor. atque Ille: *In Sardinia, inquit, fundi*
Patrimonialibus vel Emphyteuticariis, per diversos nunc dominos
distribuitur. Hic vero: Quem observari conveniet, ut pristinis Domi-
nis, siquidem idonei fuerint, cuncta restituatur, Dominos vocat,
quos ante dixerat possessores Juris Emphyteutici & Impp.
l. 4. C. de fund. Patrim. ajunt: *Neque enim magis commodamus*
nosta, quam tradimus ea jure Domini. Loquuntur autem de
fundis Patrimonialibus & qui ex Emphyteut. jure ad Do-
mum Augustam devoluti sunt, sic & l. 12. eod. dicitur de Em-
phyteuticariis, quod fundorum sint Domini. Quare & Paulus
d. l. non denegat Emphyteuticario Rei Vindicationem Ut-
lem puta, adeoque Utile Dominium ad Emphyteutam perti-
net, penes concedentem permanet directum.

§. III.

Cæterum hæc tenus agri Vestigales erant Publici, Cano-
nem Reipubl. præstantes varium. Hygenus de Limit. consti-

p. 200. Agri vestigales multas habent constitutiones. In quibusdam Provinciis fructus partem constitutam prestant: alii quintas, alii septimas: nunc multi pecuniam, & hanc per soli estimationem. Postea & privatos Dominos res suas per talem contractum concessisse constat, ut ita præstaretur Reipub. vettigal, privatis canon, recepta quoque Græcanica voce Emphytenseos. Jus alienandi quod possessores agrorum vettigalium habuerint, vix poterit probari; Erant enim selecti possessores cum posteritate in perpetuum l. 3. C. de fund. patrim. & quorum bona antea excusia, an essent idonei; atque quum turbasset possessores Strator quidam, Peræquator per Africam, restituit veteres Honorius d.l.s.C. Theod. de Censor. ait: *Aulus Scrutoris, qui possessores Juris Emphyteut. sub Peraequationis colore, turbavit, jubemus absoleri, alio ad id negotium dirigendo: quem observari conveniet, ne pristinis Dominis, siquidem idonei comprobantur, cuncta restituant.* Unde nec refundendi facultatem habuerunt Emphyteuti l. 3. C. de fund. patr. Atque pertractum Orientis patrimoniales ad jus transferre privatum, nec salvo Canone licuit per l. 13. C. eod. ne quidem ad petitionem, atque Officii sequutam concessiōnem. Norell. Theod. T. XII. c. 2. Atque Jure singulati quibusdam, veluti per Asianam & Ponticam diœcesin jus donandi & per alios contractus quoque alienandi concessum fuit, l. 6. C. de fund. patrim. Nov. Theod. t. 12. l. 1. adeo ut etiam sine insinuatione Judiciali donationes istæ valerent l. 1. C. de fund. patrim. Sed hi fuerunt casus excepti, regulariter autem alienatio fuit prohibita. Unde multo minus præstatio quædam Laudemialis locum habere potuit. Itaque conjicit Ampliss. Dominus Præles Exercitat. ad π. XVI. 77. jus alienandi concessum fuisse Emphyteutis demum quum privati jure hoc gaudere coeperint, de quo extat Zenonis Constit. l. 1. C. de jure Emphyt. § 3. Inß. de Locat. nullam tamen adhuc mentionem alienationis faciens: ut nec Justin. l. 2. C. eod. sed l. seq. demum ait Imper. dubitatum fuisse, utrum Emphyteuta debeat etiam non cum Domini voluntate suas meliorationes alienare, vel jus Emphyt. in alium transferre, an ejus expectare consensum non oporteat? ut Haloandrina habet Lectio, vulgari sibi non con-

48 (7) 88

constante. Et sicut in posteriorem sententiam decidit Imper.
ita reprehendit morem, qui cooperat ex parte dominorum di-
rectorum, ut pro concessionē pecuniam exigerent immodi-
cam, ait: *Et ne avaritia tenti Domini, magnara molem pecuniarum
propter hoc efflagitent, quod usque ad præsens tempus perpetuari cognovimus:
non amplius eis licet pro subscriptione sua vel depositione,
nisi Quinquagesimam partem pretio vel estimationi Loci, qui ad
aliam personam transfertur, accipere.*

§. IV.

Hæc Quinquagesima à Dd. postea *Laydemii* vocabulo
exprimi coepit, dej quo postea. Istud nunc in quæstionem
venit, an hæc Quinquagesima Justiniane sit Con-
tractus Emphyteutici? Atque si naturam contractus ex hac
Justiniani definitione æstimamus, videtur ea utique naturale
quid hujus contractus, ut exigi possit à Domino pro subscri-
ptione, et si nihil expresse promissum. Unde Placentinus
ad d. l. notat: *Dominus si volet quinquagesimam poterit habere.*
At si naturam contractus hujus per se, & qualis erat ante Con-
stitutionem Justinianeam, & quatenus etiam aliis gentibus
communis est, consideramus, apparet, solum Vestigia aut ca-
nonem fuisse præstitum, si quid autem pro concessionē pende-
retur, illud ex propriis pactis constabat, & sine peculiari pacto
actione peti non poterat, sed nec ex omni pacto, nisi id æquum
esset, quam æquitatem antea Judex arbitratus videtur, postea
lex definivit. Denique nec iltud exprimit Imper. à quo, Ven-
ditore aut Emptore ejusmodi præstatio exacta fuit, sed innuit
tamen ab emtore: ait pro *subscriptione* aut depositione h. e. pro
susceptione novi Emphyteutæ in possessionem, quam dupli-
cem facit Imper. vel per literas suas, suscipientis, vel per de-
positionem h. e. denuntiationem, attestacionem. Neque de-
positionis vocabulum hic ut *Glossa* putat, qualemcumque scripturam
significat, quā ostendat se velle novum Emphyteutam suscipere. Id
enim jam tum antea per literas fieri dicitur, neque inter literas
& scripturam qualemcumque subtilitas quarenda hic, sed
depositio declarationem significat, Ita l. 23. C. Theod. de decur-
dicitur



dicitur deponere *justas allegationes absentia*. Sensus igitur est, si Dominus directus, neque ipse in re præsenti susceptum in possessionem introducere possit, aut nolit, possit causas allegare apud Magistrum censuum, & petere hoc adis insinuari. Ad quem etiam testamentorum publicationes pertinebant, l. 18. C. de testam. l. 4. C. Theod. eod. Vel si forte copia magistri haberi non poterat, sufficere si præsentibus Tabulariis per attestacionem declaratio ista fieret. *Tabularii* etiam Numerarii dicebantur, & scriniis inserviebant, coram his attestatio h. e. denuntiatio etiam absenti, aut saltem non in re præsenti fieri solebat, l. sub signatum. 39. §. 2. f. de V. S. Igitur per procuratorem, actorem, filium, servum possessionem Dominus novo emphyteuta tradere non potest, sed per seipsum, vel literas suas vel per depositionem apud Judicem, ut coligit Placentinus h. l. Sichardus tamen ad h. l. n. f. per se & suos liberos fieri posse, notat.

§. V.

De Laudemio videamus, quo nomine Quinquagesimam Justiniani nec Accursius, nec Azo aliive ex primis Interpp. appellarunt. Sichardus ad d. l. s. b. ait: *quod nos hodie laudemiam vocamus*. H. Spelmannus in Glossario vocabulum hoc posthabuit. Du Frefae chartam Rotroci Comitis Perticensis ann. 1136. allegat: *Equitatus, Laudinia, relevamenta, tallias, corveias, biannosve, atque idem significare, quod Laudes*, h. e. *quod Domino feudi exsolvitur pro consensu, quem præstat Vasallo, pro alienando feudo; Gallis, Los i. e. Ventes; quam in rem preducit Chartam Ludovici Duc. Bellijocensis pro libertatibus villa Bellijoc. ann. 1274. Si Burgensis Bellijocensis emerit aliquam rem, terram vel possessionem teneatur de tertio decimo denario, & non plus de landibus. itemque Tabularium S. Flori in Arvernis ann. 1282, Confites nos inde habuisse pro Laudibus & Vendis & investitura, 12. lib. Turon. Nam *Lauda* consensus dicitur, Charta Ann. 1174. apud eundem ex Columbo: *Hanc vero permutationem Comes Willelmus dicebat non valere quia facta erat sine sua laude & voluntate*. Et alia apud eosdem: *Comes concessit eis & laudavit terras & fenda eorum ad suam fidelitatem & servitium*.*

Item

Item alia ann. 1150. Facta est hac *Litus sive Concessio in claustro S. Marii.* Jo. Leccenius Laudimium quasi leudinum a *lende* dictum, pure Longobardicam esse vocem asserit, & significari id, quod in recognitionem dominii vel obsequii a Leudis vel litis datur. Verum constanter scribitur *Laudimium*, nunquam *Lendium*, quod sciam, deinde Leudes sive leodes non juris Longobardici sed Francici sunt, & differunt a Litis, ut docet duFresne in *Glossar.* voc. *Leudes* & voc. *Litus*, atque sic etiam differre *Lendes* & *Litudinum*. Nobis hodieque ex altero reliquum *Lidlohn*. Jo. Gerh. Vossius de vit. serm. Lat. lib. 3. c. 18. tradit, accipi *Laudimium* pro convertto, promissoque, ab ea laudandi significacione, qua inde etiam laudamentum dixerat ut 1. F. 19. per laudamentum sapientum, i. e. consilio ac sententia JCtorum. Particulariter vero in LL. Longobardicis sumi Lib. IV. pro eo, quod Emphyteute persolvendum est in emphytentica renovatione. Verum LLum Longobardicarum Codex in tres tantum libros divisus est, nec usquam laudemii inibi fit mentio, Evidem lib. III. t. VIII. L. 3. Constitutio Conradi Salici Imp. ann. 1027. habetur de filiorum successione, ubi haec: *beneficium habeat, servato sum majorum valuaorum in dandis equis & armis suis senioribus.* Quæ & 5. F. 1. legitur. Verum donationes istæ non omnibus feudis communes fuere, sicut Quinquagesima Emphyteusi: nec secundum rationem estimationis feudi constiterunt, nec denique Laudimii rationem obtinunt, nisi forte genericam, sed proprie ad relevium & heriotum pertinent, de quibus ad calcem quædam. Plane quod in Constitutione Friderici 1. Imp. 2. Feuda 27 appellatur *Donum investiture*, rectius de symbolo, quod Dominus vasallo dabant, intelligitur. Ex his appareat, tantum abesse ut Quinquagesima Emphytentica Justiniani, appellatione Laudemii tunc venerit, ut potius aliquot secula post Constitutionem Justiniani in foro Francorum & Alemanno rum emerserit.

§. VI.

Origine Laudimiorum inspecta etiam rem ipsam atque specificam differentiam indagemus. Ex antea allegato Arvernensi Tabulario ann. 1282. constat, pro *Laudibus & Vendis*,

B

&

& *Investitura* XII. libras Turonenses solucas esse. Triplicia præmia hic referri, pro triplici actu, deprehendimus, alienatione Emphyteutica penitus inspecta. Hæc requirit primo consensum & concessionem generatim ad vendendam Emphyteusin extraneo cuicunque, si Dominus directus jure protimileos competente uti noluerit. Quæ Gallis *Ventes* vocari videtur: in nostro foro *General Consens*, unde *Consensgeld* a Lehn-geld alicubi differt, teste *Speidelio V. 54.* Deinde consensum specialem, approbationem nempe nacli emtoris certi, quæ *laus*, *los* & *Laudinium* dicta. Denique traditionem vel quasi, quæ *Investitura* dicitur, in nostro foro tribus actibus constans, vocatur *ufflassen, uffgeben & belohnen* ac denique *emphangen*, pro quolibet illorum actu aliquid sive a venditore sive ab emtore Emphyteuseos fuit præstandum. Tandem præstatio omnis ad unum *Investituræ* actum redacta videtur, atque *Laudinium* appellata, conf. Franzk. de *Laudem. C. V. n. 42.* alio nomine etiam *capsoldi, capsoul,* caput solidum; quod explicat Du Fresne in *Glossario*. Atque hæc de feudis & emphyteuticis rebus.

§. VII.

Porro duo hinc perquirenda sunt, Unum, an hæc Laudemialis præstatio sit illa ipsa Quinquagesima Justinianæ? Alterum, an de solis Emphyteuticis laudinium præstitum & de omnibus? Quod ad primum, utique discrimen inter *Laudemium* & *Quinquagesimam Justiniani* deprehenditur non unum. Etsi enim in eo convenient, quod utraque sit præstatio ex emto vendito Dominio utili; differunt tamen, quod non sint ejusdem quantitatis, quam desinivit Justinianus l. ult. de *Jur. Emphyt.* Laudemium enim vel majorem vel minorem quoque habere potest quantitatem sive per contractum aut literas Emphyteuticas, sive per legem aut consuetudines. Discrimen porro est, quod Justinianus Quinquagesimam ex contractu emtionis venditionis tantum admirerit, iuxta sententiam multorum Dd. quos refert Franzk. de *Laudem. c. 18, 3.* quem Laudimia etiam ex aliis titulis translati Dominii utilis præstentur: ratio diversitatis illis videtur, quod in ista ratio ha-beatur

beatur pretii, in hoc non item. Discrimen denique est, quod Quinquagesimæ præstandæ obligatio per naturam rei insit, at Laudemii non nisi per expressam conventionem. Unde patescit, Quinquagesimam Justioianeam proprie non esse Laudemium, sed ob aliquam convenientiam ab Interp. sequioribus hoc nomen isti fuisse impositum, atque hodieque communiter ita vocari. Id quod in progressu luculentius patebit.

§. VIII.

Præsertim quum alteram questionem viderimus : An Laudimia præstata jure Francorum & Germanorum ex omnibus & solis Emphyteuticis bonis ? Quum in hujus questionis decisione cardo totius rei versetur, ante omnia dispiciendum est de vulgari divisione Laudemii in Majus & minus, illud vocant, quod pro concesione & investitura Domino directo penditur, hoc v. quod scribis & Ministris Domini, illud Lehnwahr hoc Schreibschilling appellatur. De posteriori porro quæstio non est, quippe quod non pro actu Domini ipsius sed officialis ejus præstatur. De priori itaque videamus. Diximus Lehnwahr eam appellari, imprimis apud Saxones, Dn. Struv. de Fend. C. X. 12, 9. alias etiam Lehntax vocatur, h.e. pars estimationis fundi feudal, was das lehnwärt ist, was dessen tax ist, davor wurd ein gewisser theil vor die belehnung gebracht.

§. IX.

Alio nomine & ab Alemannis imprimis vocatur Ehrschatz, pro quo perperam Erbschatz legitur apud Franzk. de Laundem. c. 1. id quod & alias observari licet, itemque Erbschlag. Cæterum vox Schatz non thesaurum hic significat sed veteri idiomate pensionem, præstationem, a schutten, schussen, unde schaff, schatz, schatzung ; Scotatio item quæ Danis erat solennitas traditionis, & cuius mentionem facit Innocentius III. ad Episcop. & Capit. Lundonensem (ita enim pro vulgari Lugdunensem cum Ant. Augustino & Pithao legendum) qua modicum terræ consuevit in extremitate pallii, quod

manu Prælati Ecclesiæ sustinebatur, poni; & quæ non tam factæ donationis, quam traditæ possessionis estet evidens argumentum, c. 2. X. de consuet. quod pluribus exponit ex Andreæ Suenonis Episc. Ludensis lib. IV. LL. Scania. c. 13. & aliis, Du Fresne in Glossar. voc. scot. scotatio. Francis idem dicebatur *Laisowverpire*, in *Laisumverpire*, h. e. in finum tradere L. *Salica* tit. 48. nam laisum hic significat, quod Danis pallium extensem, nobis inde reliquum Laz, tegumentum sinnus & pectoris. V. *Da Fresne* voc. *Guirpire*. Sed hoc obiter. *Scat* *Sath* *Scatiz* itaque significat primo præstationem, tributum, vectigal, pensionem. Ita in LL. Inæ & aliorum Regum Anglo-Saxonum dicitur *Kyrik schattas*, *Kirchenschatz*, h. e. præstationes & Canones Ecclesiæ debiti. Lex Inæ circa A.C.720, Cap. 4. *Kyric scatias syna gifene be Saint Martines mas- san, Gif hrywa that ne gelæs sy he schyldig feorhertig scil.* And te twelf scaldum a gyfe i hōne Kyrik scat; h. e. Ecclesiæ pensiones sum solvende ad S. Martini missam. Si quis eas non solverit, is culpabilis est XL. Solid. Atq. in duodecimum tenetur solvere præstationem istam. Glossarium vetus Legibus Anglorum a Welleco adjectum: *Cyric, scat, Ecclesiæ versus.* Unde intelligi potest, quid sit *Weitsat*, hodieque in Noricis Statutis & alias repertu, de quo Besoldus Thef. Pract. Di. Gabe oder Opffer, se die Unterthanen ihren Herrn an hohen Festen thäten. Similiter sponsalitia largitas appellatur nobis *Mahlschatz*. Atque Principis Camera Sacrarum Largitionum, *Schaizkammer*. Sed & in Constitutionibus Argentoratensisibus *Mehrshatz* vocantur usurae majores aut lucrum Dardaniorum. *Achisshatz* vocatur præstatio pro liberatione a banno, *Wehner. Obs. Pract.* Item *Heerschatz*, *Heregat*, *Heersat*, *Heergelt*, *Heriotum*, *relevium*, de quo ad finem nonnihil: quod proprius ad nostrum *Ehrshatz*.

S. X.

Vox *Ehr* honorem etiam priscis Alemannis significavit. Keronis, qui tempore Pipini Regis patris Caroli M. vixit, Mohachi S. Galli Glossæ ad Regulam S. Benedicti: *Ero, honor. Eeren, honirare.* Sed tamen hic non honorem personæ debitum,

tum, V. G. Patrono, significat, neque præcile accipitur in eo significatu, quomodo de re immobili dicitur, *in ebr und wurden haken, h.e. in bono statu conservare*: vel *In guten bau und ehren halten, das er diesen Zijs ohn bresten und abgang vvol ertragen möge*, quemadmodum Documentorum formulæ de his bonis loqui solent. Ita in juramento civium nostratum mentio fit *seiner besten Hansebre*, h. e. maximam bonorum suorum partem in hac civitate habere debere, & statum rei suæ domesticæ. Multo minus jurisdictionem denotat, ut videtur velle Speidelius in *Spec. Jur. voc. 29.* Verum honorem Franci & Alemanni speciatim vocarunt non tantum ipsa beneficia, *Lehn* contradistinctives *alodis* & proprietatis: sed ipsa quoque *laudemia*, honorem appellant, que quippe ratione honoris five beneficij Domino ex ejus alienatione obveniunt, ut docet Du Fresne in *Glossar. voc. Honor.* Dicitur itaque *Ehrschatz* ab eo, quod sic *præstatio* quadam solvenda pro honore & investitura aut concessione rei conservandæ in eodem statu & honore. Atque nimis restricta est notatio, quam Besoldus Th. Pr. observat; quasi id diceretur *Ehrschatz*, quod solvit mulctæ nomine valallus ob feloniam; rectius vero ibidem explicatur per *Handlohn* & *Weglöfzin*, i. e. laudemium, quorum istud appellatur *præmium* potestatis alienandi. Hoc itidem *præmium* concessionis alienandi, *Weglöfzin*.

§. XI.

His expositis dispiciendum, an hæc Laudimia, *Ehrschatz* etiam de bonis non Emphyteuticis debeantur? Itemque an de Emphyteuticis bonis omnibus regulariter & per naturam rei? Atque ut *éungués* de posteriori prius agamus, certum nobis videtur Emphyteutes non omnes esse Laudimiales jure Francorum & Alemannorum. Evidem Emphyteusis nota fuit Francis, & inter species alienationis, relatus fuit *Emphyteusos perpetuus contractus*, qui dicitur *Capitular. Francor. lib. 2. c. 29. & Addit. lib. 3. c. 56.* Atque eodem lib. 3. c. 90. jungitur conductioni, & utraque prohibetur inter Christianos & Judæos. Jungitur quoque juri libellario, *Capitul. Caroli Calyi*

Calvi ann. 876. C. 10. p. 341. Sed hæc bona nihil præter canonem debebant: scilicet Emphyteusis, quatenus ex Condice Theodosiano nota est, recepta fuit in Provinciis Galliarum Germaniaꝝ primæ ac secundæ, quippe quæ tempore publicati Codicis Justiniane ꝑ Imperio Romanorum jam ayulſe erant a Francis.

§. XII.

Itaque si antiquissimas formulas & documenta eorum inspicimus, nonnisi de bonis & beneficiis censualibus, Manufirmis, Emphyteuticis, precariis, præstariis: nihil quicquam vero de discrimine inter bona Emphyteutica & censitica, nihil de Laudimiis deprehendimus, sed beneficia censualia, Erblehn, Zinslehn, de jure Francor. & Teuton præstant vecligal vel canonem absque Laudimio. Proprie dicitur Erbzinslehn ad differentiam aliarum specierum, quas Lehn appellamus, brevius etiam Erblehn, sed non in eo significatu, quo Erblehn dicitur *feudum hereditarium*, in quo heredes de jure communi succedunt, aut *feudum paternum & ayitum*, in quo descendentes masculi succedunt, ut jure feudali Alem. Cap. XLIII. & LXX. Porro eodem jure Cap. CX. §. 2. habetur, quod in bonis Emphyteuticis vel censualibus posteri Investituram renovare non teneantur, ergo nec Laudium pro investitura solvere: *Alles gilt das man zu Zinsze liehet das endörffen die nachkommen nitt entphoken, fürt der Mann der das gut vor entphangen hett. Alles Zings gilt soll nyemand entphoken vvenne der es zu erst entphangen hett. Und die nachkommen sol lent iren Zins geben an dem tage als er vor herkommen ist und als In bescheiden vvurd, so hant sie Ir gilt behebt.* Postea ortum fuit novum genus, quod sub laudimii sive *Ehirscharzes* obligatione alienatum fuit, sed per reservationem & conventionem expressam. Tandem recepto jure Justinianico media species bonorum in foro Teutonicō vīsa est, Emphyteuticorum quinquagesimalium quæ Interpp. laudimalia quoque vocarunt,

§. XIII.

Discrimen hoc inter bona Ehrschallistica sive laudimalia & inter Emphyteutica præ aliis penitravit Joach. Vidianus, Col.

Cof. Sangallensis in epistola ad H. Bullingerum de obscuris Alemannicorum verborum significationibus, apud Goldast. Tom. 2. Rer. Alemann. p. 59. ubi haec tradit:

Agri in illa gente varii juris erant: Fiscalini scilicet, quorum redditus fiscis Principis defervabant: Qui donati venditive Monasteriis Parociisve, Ecclesiastici vocabantur, qui hodie, multis in locis, licet venditi & alienati, & privata possessionis facti sunt, tamen ea servitute laborant, ut quoies vendantur, & novum Colonum possessorem recipiunt, roties certa eis summa Ecclesia seu monasterio pendenda sit, in cuius primava possessione fuerant: vulgo Ehrschätzige Hoffgitter vocamus.

Agri salici seu terra salica illa servitute vacabat: hanc vulgo Fryge Lehngüt vocamus. Agros salicos elocabant nonnunquam certa conditione reditum & cultura in perpetuam possessionem: nec mutare licebat colonum aut posteros, nisi pacluva aut conditionem violassent, vel non solitus reditibus, vel fundo reglectui habito, vel parte fundi inscio Domino distracta aut usaris recentibus gravata.

Pronde epochas dabant coloni, quibus quo pacto quave conditione locatio facta esset, continebatur, eas tabulas vulgo Reversas & German. Reversbriffe, locationem autem ipsam Erblehn vocamus.

Ager hoc pacto locatus antiquis vestigialis dicebatur, quem eleganter describit Paulus, enjus verba in tit. si ager vestigialis. lib. π. Justin. VI. legimus. Non vestigialis erat, qui ad certum tempus locabatur, & eo pacto ut auferri colono, Domino volente, potuerit: nos vulgo Schuplehn dicimus. Justiniani atas voce, ut puto, nova & Graeca quidem Εμφύτευσιν sive ut vulgaris Codex Justiniani Emphytheosis, perpetuam illam locationem vocavit, a verbo Εμφύτευσιν, quod inserere, plantare significat, quoniam hoc genus locatione ager in familie alienius possessionem velut inseratur & implantetur, ut avellere jure non liceat, nisi pacto locationis violato. Unde ius Emphyteoticum (sic enim Alciatus emendat) dicitur, quod corrupte Emphyteoticum, Erblehn Recht; ager Emphyteoticarius, quem & ipsum Almanni & Franci Mansus vocabulo complexi sunt.

I. XIV.

Idem Vadianus lib. 2. de Collegiis Monasteriisque Germaniae veteribus, apud eundem Goldast. T. 3. p. 57. scribit: Porro sicut

sicut libertis libertabusq; pluscula onera non admittuntur manumissione, sed ad posteros etiam pertinent, nisi ingenui fiant, ita & pradiis olim propriis, postea vero alienatis, serviuites quadam imposta sunt: quarum hac pricipua apud Germanos durat, ut quoties ager fundusque venditur, toties usura aliquid ad illum redeat, qui primus alienavit, quive jus illud servitutis justis causis suum fecit. Quales multe, sive servitutes veterum monasteriorum, atq; etiam Nobilium, aut eorum, in quos quacunq; causa mos ille vetus translatus est, jure exercita in ea pradia, qua Germanice Ehrschätzige Güter vocamus: usuram autem, qua venditione penditur, den Ehrschätz nominamus.

Id vero obiter notandum, pradia, quibus servitus ea imposta est, antiquitus bona fiscalia vocata fuisse, quasi ad fiscum sive erarium Principis pertinencia, qua illorum postea liberalitate, hoc tamen serviuitus conditione, recognitionis ergo, si alienari ea contigisset, imposta, monasterii donata fuerunt, qua etiamnum vulgo Ehrschätzige Hoffgüter nominantur & vel hac maxime nota, a Bonis, qua fiscalia appellata sunt Freyge Lehngüter discernuntur. Potest autem hac serviuitus, sicut reliqua omnia incommoda, vel pactione vel transactione redimi.

s. XV.

Vadianus hīc dilucide bona Ehrschazica ab Emphyteuticis separavit, & duas oppositas species constituit, sed laudem nomine abstinuit, vetustiora secutus forte documenta, ut ita constet, laudimii vocem recentiorem esse quam vernaculum Ehrschätz. Deinde hoc quoque inde asseritur, Jure Alemannorum Emphyteutica bona per suam naturam & regulariter non praestare Ehrschatz, sicut vicissim Ehrschatzica non praestare canonem annum: Denique in bonis Ehrschätzis Vadianus vix videtur agnoscere Dominium directum & utile, sed duntaxat serviutem, cuius speciem præstationem des Ehrschatzes constituit: quod si ita est, eò major est differentia inter Emphyteutica & Ehrschatzica bona, Plane successu temporis bona Ehrschatzica seu Laudimilia plerique etiam Emphyteutica esse ex documentis satis constat: nec Vadianus inficias ire voluit, dum hæc bona vulgo Ehrschätzige Hoffgüter, hodie vocari, & antiquitus bona fiscalia fatetur.

fatetur. Nam hæc talia bona ut Ecclesiæ ex fisco Principum concessa fuerunt, ita nomen *Fisci & Fiscaleum bonorum* retinuerunt, quo nomine beneficia & feuda venisse, docet du Fresne *Glossar. voc. fisci.* Unde opponuntur hæc feudis francis & salicis, Freyen *Lehngutern*, ipsa vero possunt tamen esse *Hoffgüter à Curia Domini directi* ita appellata, quæ vulgo *Dinghoff* vocatur, alias quoque *Renthoff*, *Kellenhoff*, *Goldast.* *Tom. 3, Rer. Alem. p. 107.* atque hoc posterius non à *gula*, sed à colonis, qui curiæ addiæti sunt. Jure itaque Alamannico etiam emphyteutica bona possunt esse ehrschazica, verum non nisi per expressam conventionem aut præscriptionem. Adeoque nec hodie emphyteutica qua talia, Laudimium sive Ehrschatz præstare tenentur jure nostro, atque vera est assertio: dari ehrschazica seu Laudimialia, quæ non sunt emphyteutica, ut mox pluribus patebit.

§. XVI,

Accedimus enim nunc ad Constitutiones nostræ Reip. de bonis Emphyteuticis & Ehrschazicis, quarum antiquissima esse videtur, quæ habetur in vetustissimo Codice MS. membranaceo Statutorum Argentor. litera A. consignato fol. 28., Da Herr Brandeck Meister vvar dokument Meister und Rat mit der „ Scheffele gehelle unt rechten Urteil übereyn, Svva unsre Bur- „ ger einer ein eigen hett in der Statt oder in dem Burghanne, „ und das en vveg libert zu eime erbe oder verlihen hett, und das, „ verbriefer ist oder vvirt, mit der Stete Insigel, oder mit geistli- „ cher Gerichte ingesigel oder mit des insigel des das eigen ist, o- „ der ane das kundlich ist, oder kundlich vvirt gemacht, der dem, „ es verlihen ist, der sol sin erberecht nit furbas zu eime erbe, „ verlihen ane das hand des die eigenschaft ist, das sol men ver- „ stan von hoffestetten und von anderm gute das eins mans (li- „ dig) eigen ist: Wil er aber sin erberecht verkouffen, er sol es bie- „ ten dem Hofherrn, des die eigenschaft ist, vvil der nit darum, „ geben als viel als ein ander, er sol es geben ein andern, so er, „ allerturste mag, ane des Hofherrn vviderrede. „

Hæc constitutio confecta est anno, quo Reinholdus de Brandeck Stettmeister fuit, quod incidit in A.C. 1301, quo se- cundus in ordine, vel potius in annum 1313, aut sequentem

quoque, quibus primas Magistrorum fuit, ut habetur in Fastis nostris Consularibus. Agit primo de Constituenda emphyteusi in bonis propriis civium intra territorium Civitatis siccis. De modo constituendi vulgaris est disceptatio, an scriptura requiratur necessaria ad emphyteufeos constitutionem? quum scripturæ mentionem faciat Justinianæ Constitutione antea laudata. Quia in re eti Dd. inter se se discrepant sententiis, jus tamen nostrum negativam amplectitur, & modum constituendi admittit ut validum, non tantum quando das verbiest ist oder wirt mit der Stette Insigel &c. i. e. scriptura & sigillo civitatis, vel Judicij Episcopalis, vel saltem Domini directi, interveniente, emphyteusis constituta esse cernitur; verum etiam quoties alias res est notoria, aut alio modo per testes doceri poterit, ibi: oder ane das kunktlich ist, oder &c.

S. XVII.

Secundo hæc Constitutio principaliter versatur in ea quæstione, an emphyteuta possit subemphyteutam constituere, quemadmodum feuda possunt subinfeudari? quam quæstionem post alios tractat Franzk. de Landem. C. 11, 27. & C. 14, 49. quod negative deciditur, si sine Domini directi consensu id intendatur: der sol sin erberecht mit furbas zu einer erbe liken, ane des hant, des die eigenschaft ist. ubi hant dicitur consensus, more juris Alamannici, quo manus potestatem & consensem significat. Restrингitur porro hæc prohibitio ad areas & bona, quæ propria sunt Domini directi; das sol men verstan von hoffstellen und von anderm gute das eins manni [lidig al. ledig], eigen ist. Excipiuntur ergo bona, quæ non sunt propria Domini directi, V. G Lehn, feudalia, quæ subinfeudari possunt, etiam sine consensu Domini. Lidig eigen dicitur, pro quo antiquissimus Codex Simpliciter habet Eigen, lequiores Ledig eigen, recentiores lidig eigen. Ita alia Constitutio nostras de feudis Imperii & aliis: oder das eine Herrn ein Lehen vver ledig [alias lidig] vworden. Itemque alia: Wer ein gut verkauft fur lidig, das vor versezt, oder verkauft were. Facit hoc instrumentum cessionis dominii directi vasallis facta, in vigil. S. Andreæ an. 1343. Wir Hugo Herr

zu Richenberg --- das wir gegeben hant fur lidig eigen & **W.** geliz
in dem dorffे --- die sie vorzals zu lehn von uns hetten. Und
verjehest auch offkennich by dem eyde den wir derum gesvoren hant
mit uſgehebten henden das das gelt unfer eigen ist, und zu unfer Herr-
schaffi kröter zu R. und es von niemand han zu lehn, und gelobent
fur uns und alle unfer Erben das vorgenannt gelt vor lidig egen zu
werende die vorgenannten brüder und alle ir erben, und fagent sie
ires eydes und ir mannschafft lidig.

§. XVIII.

Sequitur alia exceptio, Nisi Emphyteuta vendere velit
Emphyteusin, quod concessum est: *Wil er aber sein erbrecht
verkauffen. Sed haec tenus, ut jure protimiseos ante omnia of-
ferat Domino directio: Er soll es bieten dem Hoffeberrn des die ei-
genschaft ist.* Unde vocantur hæc bona *Furbierige Guer*, qua
& preehibitoria appellantur, in quibus scilicet Dominus di-
rectus jus protimiseos habet, qualia sunt regulariter omnia bo-
na Emphyteutica tum per Constitutionem Justiniani tum No-
stratem hanc & alias. Denique ut ad rem veniamus, ex hac
Constitutione apparet, bona Emphyteutica nostro jure qui-
dem regulariter esse juri protimiseos subiecta, non vero Lau-
dimiali oneri, cuius quippe nulla hæc fit mentio, uti protimi-
seos.

§. XIX.

Cum tamen per conventionem fieri possit, ut Emphyteu-
sis sit laudimialis, itaque in sequente Constitutione Laude-
mum subintelligi, et si non expressum poterit, qua ita habet:
*Was Lehn in der Statt zu Strasburg und in dem Burghanne gelegen sind,
die soll niemand höher steigen, wann sie fallen bliben in den zin-
sen und in dem rechte, als sie herkommen sind, one die zu Zielen
verlihen sind. h.e. bona locata conducta.* Quod vero dicitur
de canone, quod non debeat augeri, idem quoque de Laudimio
intelligi potest sub clausula generali: *und in dem recht als
sie herkommen sind.* igitur nec jus Laudemii ejusve quantitas
augeri poterit in iis bonis, qua Laudimialia sunt: sed de
quantitate Laudemii postea dicemus.

S. XX.

Expresse vero in quatuor potissimum Constitutionibus nostris mentio sit Laudemii, des ehrschazes. Quarum una haec est:

[Von Erschaz und fürbietung
oder furgebott.]

Wer sin eigen oder sin erbe es sy mann oder wib zu erbe libet, von der Hofeherrn vrandlunge soll man keinen Ehrschaz geben, wo aber an saßlichem (in impressis solchem) Erb zwien oder me zu erbe kumment, wollen die Jr erbe teilen, das mögen sie vol thun one der Hofcherrn, also das sy dem Hofeherrn ein hofesesser usser In gebent, der es emphabe von ihr aller wegen, und ime Erschaz gebe, ob es Erschaz geben soll und sinen zins.

Als dieser der hofesesser abe gaht, der es emphangen hett von Jr aller wegen, als dicke soll man dem Hofeherrn einen andern hofesesser geben, der es entphabe von Jr aller wegen, und soll so auch der ganzen Erschaz geben, obemann von dem gute Erschaz geben soll, doch soll den andern Erben ir erbrechte behalten sin, und solls der Hofcherre sines zins anuff allem gute warten.

Were aber das der erben einer sin teil an dem erbe wolle vercouffen, das soll er dem Hofeherrn von erste bieten, will der Hofherre so viel darum geben, als ein ander, so soll mans Im geben, svil er des nit tun, so mag er es vvol geben zu kouffende andera liüten, und der es konfft, der soll dem Hofeherrn siveren, wie er es gekonfft habe, an alle gefarde: Und soll in derselben Verbundnisse sin, als die erben vyarent: doch soll er dem Hofeherrn Erschaz geben nach der margzal. Zeglich mag sinen teil vvol vwidemen mit des Hofcherrn hand, und soll es Ime der Hofeherr nit versagen, und soll dem Hofeherrn sinen Erschaz geben nach margzal, und an wven es fellet, so soll das gut bliiben ligende in derselben Verbundnisse als da geschrieben stat.

S. XXI.

In hoc textu observandum est primo, Laudimium non solvimus tato Domino directo, sed tantum utili. Deinde præstatu

88 (21.) 88

stari tamen in divisione coheredum constituto substituto. Ait: Wo aber an solchem erbe. ita impressa editio, sed in Codd. MSS. de ann. 1322. lit. D. & E. fol. 48. b. suslichem legitur, quod quid sit, explicat Keronis Glossarium: Hujusmodi, Suslichan, Hujuscemodi, suslichern. restringit itaque hæc vocula dispositionem Constitutionis ad casum plurium coheredum, nempe si duo vel plures succedunt, his concessa est divisio hereditatis sine consensu Domini, modo unum aliquem ex medio ipsorum (usser In, hodie aus iihnen, opponitur enim mox substitutus cæteris coheredibus, ibi: doch soll den andern erben) constituant, qui Hofessor hic dicitur, i.e. professor Curia sive fundi Emphyteutici, qui alias appellatur Lichtrager, provasallus, proëmphyteuta. Hujus functio est, ut nomine communi investiatur & Laudimium præstet, siquidem Laudimialis est Emphyteusis, und Im Erschaz gebe, obe es Erschaz geben soll. Ex quibus verbis conficitur, Emphyteusin, Erblehn regulariter non præsumi in dubio, esse Laudemiale jure nostro, quemadmodum canon semper præsumitur ex fundo Emphyteutico præstari debere, alias non esset Emphyteuticus, sed alterius naturæ: sed cum demum Laudimium, Erschaz, ex fundo Emphyteutico solvendum est, si probatur Laudimialis, das es Erschaz geben soll.

§. XXII.

Tertium, quod in textu hoc constituitur, est: mutato substituto Laudemium integrum solvendum: Als dicke i. e. quotiescumque substitutus decedit, qui de Emphyteusi fuerat investitus communione nomine, tories alius est sufficiendus, qui itidem nomine omnium investiatur, & solvat integrum Laudimium, siquidem Emphyteusis est Laudimialis. Ex quo denuo patescit, non omnem Emphyteusin esse Laudemiale; Pergit; doch soll den andern erben Ir erbrecht behalten sin, i.e. etsi unus ex coheredibus investitur, & fundum possidet, quia tamen id communione nomine fit, ideo quilibet coheres portionem suam hereditariam reservatam si bi retinet. Und soll der Herr sins zinses uf allem gute warten, i.e. nihilominus, vicissim Dominus directus propter canonem to-

tum fundum & omnium ac singulorum portiones sibi obligatas retinet.

§. XXIII.

Quartum, quod hic constituitur, est, quod regulariter omnia Emphyteutica bona sint juri protimiseos supposita, Furbietig, & deberi ante omnia offerri Domino a vendituro, ac emtorem jurato pretium Domino debere aperire, ne fraus committatur, & majus pretium Domino significetur, quam revera constitutum & solutum: *Werre aber das der erben einer sein teil &c. doch soll er dem Hofeherrn Erschaz geben, nach der Margzal.* Hic quod de prastatione Laudemii dicirur ex antecedentibus intelligendum est, siquidem Emphyteufis Laudemialis esse probatur. Clausula porro nach der Margzal opponitur ei, quod antea dicebatur *der ganze Erschaz.* Itaque in hoc posteriori casu, quo unus coheredum portionem suam alienat tertio, non integrum Laudemium solvit, sed pro rata portione venditoris in fundo Emphyteutico habita & alienata. Idem est si non venditur, sed in viduum aut usumfructum pars hereditatis detur.

§. XXIV.

Id enim significat vox *Margzal*, quomodo in vetustissimis Codd. MSS. Statutariis pergamenis perpetuo scribitur: in sequentis ævi Codd. chartaceis lit. H. & I. b. scribitur Margzale, sed in altero lit. I. a. qui inscribitur *Reformierte Ordnung An. 1433.* itidem Margzal legitur, pro qua hodie Marzal dicimus, quem admodum Erbezal h. e. Erbheil, portio hereditaria, Zvvozal, h. e. duæ partes sive tertiae. Constit. Argentor. A. 1340. de his, qui sine consensu Parentum aut Cognatorum proximorum nuptias contrahunt: *Und soll das Kind das also die Eer vveggelopt hat, sine Erbezal das es von Vater und Mutter zu Erbe komen mag, verloren han.* Alia de Viduis, von Widemann, 1322. Cap. Ist das zwey, ait: *so soll mann den bu -- schazen alser dannen wert ist, und sollen des mannes erben die zwozal nemen, und der frauwen erben das dritteil.* Constitutio von Noth-Widem: *Ist das zwey by einander sitzten mit der E und gewynnen gut hant, das zu eigen und*

und zu erbe bracht und angeleit ist: und videnter der mann der
frowen von dem gut sin zwosal, und die frowe dem Mann Ir dritt-
teil, der Widem, soll steue sin. Igitur nach Margzal est pro rata
portionis sux, Constitutio Argent. Wir erbet der soll öch gel-
ten nach der Margzal als er danne erbet, i.e. Coheredes tenen-
tur æs alienum solvere quilibet pro rata portionis suæ heredi-
tarie. Clare id exponitur in instrumento Curia Argentin.
de V. Kal. Febr. 1394, de annuis redditibus concessis Hospitali
majori: *De suis redditibus prescripiis defalcatur equaliter prorata,*
vulgariter dicendo nach marchzial, sine dolo. Similiter Marzal op-
ponitur integro Interesse annuo, dem ganzen Zahrszins, & di-
citur pars illius post terminum solutioni destinatum ex mora:
de quo B. Otto Consiliarius Reipub. nostræ O. M. hæc ad
Wehnerum suum annotavit: *Das Wörtlein Marzal ist ein die-
ser Landen in allen Obligationibus gebräuchlicher Terminus, und
bedeutet denjenigen Zins/ welcher von denen Monaten, Wo-
chen, oder Tagen, so über den bestimmten Zahlungs-Termin ver-
flossen, bezahlet werden soll.* Als wann einer schuldig ist 1000. fl.
Capital uss Joh. Bapt. 1632. zu bezahlen, dieselbigen aber erst uss
Michaëlis erlegt, so muß Er über den vßlligen Zahrszins noch für
ein Quartalszins bezahlen, daß also solch Wörtlein dem Aufleihen
zum bessē jedes mal gereicht; hæc ille. Ita in documento venditio-
nis an. 1644. 20. Aprilis habetur: *Welcher Behausung Hoff-
statt obberührter Schulden jure dominii directi gehörig, deren
man auch davon jährlich 2. Pfund Pfennig Ewiges, Erschäzi-
ges, Fürbietiges Erblehn-Zinses zu reichen schuldig ist, deshogen
10. fl. Pf. Marzal erschienen. Atque in alio instrumento vendi-
tionis an. 1645. Doch den Wiederkauff samenhafft mit obgemelten
Hauptgelt, ergangen Zinsen, [so] sich nach Marzal des Zahrs
verlaufen, vorbehalten.* Vox itaque zal hic ut & in Zwosal
& Erbezal partem significat, Marg, Marc, Mark vero determina-
tam, limitatam, quam Ratam vocamus, margo enim, Mark,
Marca limes est terrarum inter sece divisorum. Ita in Lege
Alamannica Marchzan appellatur dens maxillaris, q. d. termi-
nalis, alias Scheidelzan Tit. LXIII. S. 5. & Leg. Baiyvar. T. 3. C. 1.
§. 24.

§. XXV.

§. XXV.

Consideremus jam aliam ex Constitutionibus nostratis
de anno 1322.

(Man mag ein Erschazig gut
nit verbinden.)

Es mag niemand dehein gut verzezen, das Erschaz git,
das einen Hofeherrn hett, das man entphahen soll, ohne
des Hofeherrn hand, vvil er aber sin erbe verletzen, das Er-
schaz git, das mag er vvol thun mit des Hofeherrn hant
und soll Ime sinen Erschaz geben, vvolt es aber der Hofe-
herre nit setzen, so soll es doch stete sin, und soll dem Ho-
fherren sinnes Erschazes gehorlam sin nach der margzal.

Agitur in hac Constitutione de bonis Erschazicis duorum
generum, unum dicitur *Gut*, alterum *Erbe*, utrumque ta-
men Laudemiale esse præsupponitur, differentia nimurum
est in acquisitione, quod *Gut* constituitur per acquisitionem
originariam, *Erbe* vero per successionem & divisionem heredi-
tariam, id enim hic hoc vocabulum denotat, portionem here-
ditariam. De prioritate: *Nemo potest fundum oppignorare Lau-
demiale, qui Dominum habet directum, de quo quis investiendus est,*
absque Domini directi manu i.e. consensu. Ita etiam in Jure Feu-
dali Alemanno *Hant* passim accipitur pro consensu, Cap. LVI.
LXI. LXIV. CVII. &c. Charta vetus Alamannica: *Ego in DEI
nomine Wolger cuso manu filii mei Engilgaci consentientis tradis-
sus &c.* De oppignoratione porro loquitur textus, verzezen:
quod & venditionem aliquam continet, præsertim cum pacto
retrovenditionis, ita enim solebat apud Majores nostros op-
pignoratio fere fieri, ut dominium transferretur ad Creditor-
rem, donec relueretur pignus: unde etiam investiri creditor
aut emtor solitus. Qua de re *Dominus Praes. Tr. de Jure retro-
rendit.*

§. XXVI.

Sequitur altera pars hujus Statuti, qua est de parte here-
ditaria fundi Laudemialis: *Si quis vero oppignorare velit sin erbe,*
here-

hereditariam suam partem, Laudemiali affidam obligatione: id licetum est ipsi cum manu Domini Curie sive directi, & ut ipsi solvat Landemium debitum. Haec tenus nulla dum est differentia, sed utrobique consensus Domini requiritur ad alienationem. Planè sequitur: *Wehe es aber der Hofherr nit setzen, so soll es doch stete sin.* i. e. si Dominus Curia nolit consentire, alienatio nihilominus valeat & rata sit. *Setzen* significat veteri jure, consentire in alienationem, & immittere in possessionem, investire; Documentum anno 1402. *Insuper (N. Domini directi)* pranominate (*Nomen novi Emphyteutæ*) domos prescriptas pro predictis Laudemialibus redditibus locavit vulgariter het gesetz, seq̄ ab ipsa (*novo Emphyteuta*) Laudemium Erschaz vulgariter appellatum quoad predictos Laudemiales redditus recipisse recognovit. Ubi in translatione germanica illius instrumenti habetur: *verluehen, gemeinlich genant, gesetz.* Aliud instrumentum Emphyteutæ coram Senatu Argentor. an. 1294. factum: *Wer es konuffet der soll Erschaz geben, und soll mens auch deme serzen mit diesem selben gedinge* i. e. emtor rei Laudemium præstare teneatur, atque cum hoc eodem onere iste de eo est investiendus. Veteri lingua Romana provinciali dicebatur *sacire*, unde Gallicum *saifir*, investire, in possessionem mittere. Sed hæc obiter: ad rem ipsam, ait tandem LLator noster restringendo libertatem alienantis Emphyteutæ coheredis: *Und sol dem Hofherrn sins Erschazes gehorsam sin nach der Margzal,* h. e. tenetur nihilominus detrectanti Domino directo ad Laudemii præstationem, sed non integri, verum pro rata portionis sua, quam habet in fundo ihereditario laudemiali. Ratio denique differentia quod oppignoratio & alienatio in re Laudemiali hereditaria valeat etiam sine consensu Domini impetrato, secus in re Laudemiali propria Domino, & antea infiudari non solita, intelligi potest ex eo, quod nullus coheredum cogatur in communione permanere, igitur quum' denegatio consensus sit contra leges, recte atque ordine suppletur consensus à lege, salvo tamen jure Laudemiali. Multo minus ergo opigneratio tali casu locum habebit.

§. XXVII.

Nunc aggredimur illam ipsam Constitutionem, quæ maxime ad rem propositam facit, atque expresse quæstionem hanc decidit: An Laudemium sit de natura Emphyteuseos, ita ut regulariter omnia bona Emphyteutica, præsumantur esse Laudimalia, et si nihil expressum sit? Dubitandi occasionem sine dubio dederunt advocati & procuratores Jure Justianeo duntaxat imbuti. Id quod negative deciditur, & ea demum Emphyteutica bona, ut & alia, censeri Laudimalia esse, quæ aut per literas Emphyteuticas vel alias Laudimalia probantur. Lata fuit hæc Lex anno 1322. ait: *An welchen brieffen Erschaz stat, da sol man Erschaz geben, wa aber Erschaz nit an brieffen stat, da sol man auch keinen Erschaz geben. Es vvere danne das mann möchte vürbringen mit erbern unverbrochen litten, das man von dem gute von alter har den Erschaz gegeben hatte, des sol man geniesen und sol man auch das gut sezen. i.e.* In quibus literis Emphyteuticis expressa mentio fit Laudimialis qualitatis, eo casu tenetur quis Laudium præstare: quoties vero Laudimii qualitas in literis expressa non est, tunc nec ad Laudimii præstationem quis obligatur. Quæ Constitution ex Jure communī Alemannico derivata fuit. Ita enim Jus nostrum feudale cap. CXXV. §. 4. *Von dem Zinslehen sol niemand dem Herrn anders dienen, denne als er mit Ime (al. mit namen) gedinget. i.e. de Emphyteuti nemo tenetur domino quicquam aliud præstare, nisi id quod inter ipsos expresse conventum fuerit.* Plane si probatur per testes, homines probos & irreprehensibiles, quod de fundo illo a longo tempore Laudium præstitum fuerit, id juvabit Dominum, ut Laudium exigere possit, sed & ipse vicissim de fundo Emphyteutam investire tenetur. Id enim verbum *sezen* denotare, antea expositum, ita ut perperam pro eo schäzen substituatur, quod in nullo antiquo Codice M. apparet, sed perpetuo *sezen* legitur. Cæterum et si de natura Emphyteuseos non est Laudemium, majoris tamen cautelæ gratia quandoque in instrumentis expressum, quanquam rarius, reperitur, velut in instrumento Emphyteutico Curiæ Argent.

Argentin. an. 1411. absq; argumentatione reddituum eorundem & sine
quovis Landemio. item anno 1466. debere redditus annuos perpetuos
& non Landemales.

§. XXVIII.

Superest adhuc alia Constitutio nostra Civitatis publicata
ann. 1523. de redēptione censūm pēpetuorum, Laudimia-
lium & Præexhibitoriorum, von Ablösung der ewigen, ehrschatz-
gen und fürbietigen Zins, quæ quā recentior sit atque proli-
xior nec per omnia ad nostrum scopum pertineat, ceteroquin
à B. M. Dn. Jo. Ulrico Fridio, Reip. nostræ Consiliario O. M.
peculiari commentatione illustrata sit, nos quādam duntaxat
hūc maxime pertinentia superaddemus. Agit ea de censib⁹
vel reditib⁹ pēpetuis, Ewige Zins, alias irredimib⁹bus. Horum
origo duplex est, unde & species ejus duplices sunt, aliam
Constitutio nostra §. 4. appellat licitam de jure Divino & hu-
mano, ut sunt cens⁹, canon Emphyteuticus, census feudal⁹
& si qui alii, velut in re propria saltē quoad Dominium di-
rectum reservatos, Franzk. de Laudim. C. X. 33. Et in antiquis
documentis vocantur reditus annui proprii pēpetui & Landemales,
quale exhibet Tabor de Altero Tanto T. 3. art. IV. §. 1. Vocan-
tur etiam aliquando fundales. Instrumentum Curia Argent.
an. 1522. redditus annuos perpetuos & fundales unius uncie denario-
rum, qui tamen ibi non sunt Laudimiales, Emphyteutici ta-
men. De his Rec. Imp. an. 1530. s. nach dem 63. & Ord. Francos.
ad Mœn. P. 2. T. 7. §. 12. Alibi appellantur Aligenschäften, Aligen-
Zins, Jus Noric. T. 23, Wehner Obs. Præst. Conf. Dith. ad Be-
sold. Thes. Handlohn, atque hos Constitutio nostra in vigore suæ
perpetuitatis permisit. Ait: Doch sollen die eigen Zins, als erb
und manlehn, auch erblebungen, hierinnen nicht begriffen, sondern
als ein Götlicher und rechtmäßiger Zins, uſgeschlossen sin. h.e. Cen-
sus proprii, veluti census ex feudi hereditariis aut etiam ex pacto &
providentia sive masculinis, itemq; canon Emphyteuticus, in hujus Con-
stitutionis prohibitione de redimibilitate pēpetuorum reddituum compe-
tenti⁹ non sunt, sed ut census de jure Divino & humano concessi, ex-
cepti sunt. Ex hac juris ratione adjecta intelligere est, cujus-

modi naturæ & qualitatibus sint isti redditus perpetui, *Ewige Zins*, qui in hac Constitutione redimibiles facti sunt scilicet qui jure divino ac humano aliquid adversi fovere videntur, verbo *Usurarii*, vel qui ex paœtis de pravitate usurariæ suspeclis saltē oriundi sunt.

§. XXIX.

Enimvero quum superioribus seculis *Usura* jure Divino & humano illicitæ haberentur, nec tamen *mutuum* gratis dari soleat, itaque nec commerica, fulera Reip. aut nervus, interirent, excoigitatus fuit modus, quo idem quod per *mutuum*, obtineri poterat, sed per speciem *emtionis venditionis*, quam obid *analogiam* Tabor de Alt. Tant. P. 3. art. V. §. 3. appellat, ita ut fors pretii & creditor emtoris nomen indueret, & debitor pro venditore, *usura* pro merce vendita haberentur, ac *reditus annui* dicerentur: hi redditus si justum modum usurarum transcendent, illiciti utique sunt & ad pravitatem usurariam pertinent: Adeoque per leges publicas reprobati. Sed quemadmodum forsà debitore statu die reddi debet, & ab usuris iste liberari potest: ita in hoc contractus genere adjiciendum fuit paœtum redimendi, unde redditus isti redimibiles facti, *Wiederkauffliche Zinsen*. Atque quum regulariter hoc paœtum adjiceretur, ea ratione hoc genus Contractus in Germania fuit receptum, ac quum in dubium vocaretur, ut suspectum pravitatis usurariæ à Curia quoque Romano approbatum.

§. XXX.

Origo hujus Contractus emtionis annuorum reddituum aliquo modo ex Bulla Martini V. Papæ Cap. 1. Exirav. Comm. de emt. & vendit. conjicienda, quam an. 1420. publicavit, ad preces Civitatis & Dioeceseos Uratslaviensis, in quibus habetur, hanc consuetudinem rationabilem à centum annis citra & supra ibi observatam fuisse ut vendiderint annuos census unius vel plurim marcarum ad rationem & pro qualibet marca annui census X. XI. XIII. XIV. marcas, aut plus vel minus, secundum temporis qualitatem, eamque ab Episcopis Uratslav. fuisse

fuisse confirmata. Quæ quum in dubium vocaretur, & contractus talis pro usurario & illico haberetur, Pontifex Peritorum consilio adhibito comperisse se dicit, contractus hujusmodi juridicos, & juxta determinationem Doctorum licitos esse, quemadmodum etiam eisdem licitos & juri communii conformes declaravit. Ex quo obiter hoc discimus, quoniam hic Contractus juri Rom. sit incognitus, Tab. de A. T. P. 3. art. 9. iuritanien communii conformis pronuncietur; *juris communii ea quoque dici, quæ juxta determinationem Dd. & usu fori communiter hodie observantur, eti juri Romano incognita.* In Constitutione sequenti Calixti III. Papæ an. 1455. eadem consuetudo in diversis Alemannia partibus à tanto tempore cuius contrarii memoria non existat, observata, præscriptaque confirmatur. Atque ex his appetet hos redditus annuos ut redimibiles ex parte venditoris aut debitoris, pro licitis ac juri communii conformibus fuisses approbatos. Facit denique hic Bulla Pii V. de forma contrahendi censum VII. Decret.

L. 2. f. 12.

S. XXXI.

Evidem in Rec. Imp. Augustano an. 1530. S. Nach dem auch. 63. Constitutiones atque statuta, quibus census perpetui Erb und Ewige Zins, redimibiles redditi fuerant, cassantur, nullantur, & census perpetui ut irredimibiles pronuntiantur: Sed hæc Constitutio cassatoria duntaxat loquitur de censibus perpetuis propriis: canonibus Emphyteuticis & similibus. Cæterum quoad redditus annuos, in sequente fuit alia Constitutio in Comitis Augustanis an. 1548. in Reformat. Polit. Tit. XVII. §. 8. Ubi quantitas ad quincunces reducta, & redimibiles omnes pronuntiati fuerunt; pacis contrariis omnibus desuper nullatis. Quæ omnia Ordin. Polit. an. 1577. Tit. XVII. §. 8. & 9. repetita sunt, & in Rec. Deput. an. 1600. §. ferners. 35. declarata. Idem eluescit ex confirmatione Caroli V. Imp. an. 1541. Constitutionis prælaudata Reip. Francofurtensis ad Moenum.

D 3

S. XXXII.



§. XXXII.

Quod si vero Contractus pacto hoc destituebatur, reditus erant perpetui & irredimibiles regulariter, & redimi non poterant, nisi pacto adjecto, aut ex Lege. Accedebant porro & alia pacta, de Laudemio & protimileos jure, quæ quippe qualitates ex priori genero censuum legitimorum huc etiam translatae cernuntur, unde & hi reditus alii Laudemiales, alii non Laudemiales, & alii exhibitorii, alii securi. Atque quum his talibus cives hujus Reip. vehementer gravari deprehenderentur à potestate nostra LLatoria, ad præcavendam eorum perniciem, sustulerunt dicta Constitutione istam qualitatem ac naturam irredimibilitatis, & constituerunt, *das man solche ewige Zins wol ablösen möge*, modis postea expressis, hoc tales scilicet reditus perpetuos posse redimi, etiam invito creditore sive emtore, quod & Resp. Francof. ad Moen. mox anno 1526. imitata, ut patet ex Refor. P. 2. t. 7. §. 2. Atque hos reditus alicubi etiam proprios Census Eigen Zins vocari arbitror, ut in Constitutione Norica an. 1564. t. 24. L. 4. quia constitui dicitur per emtionem venditionem vel hypothecationem ibi: *ob die hie vor auf ewig und unablässlich verkaufft und verschrieben worden*, dissentit Tabor de A.T. P. 3. t. 9. §. 9. allegans Wurffbein ad Refor. Noric. b. 76. Sed is hos quidem census in plurimis ad emtionem annuorum reddituum referendos assertit. Neque credibile est, voluisse LLatores Noricos directò contra laudatum Reccesum Imperii ac Legem Imperii publicam sancire.

§. XXXIII.

Quod ad rem nostram attinet, observandum ex his est, dari bona Laudimilia sive Erschazica, quæ nec feudalia nec Emphyteutica sunt, scilicet reditus hos perpetuos & olim irredimibiles, hodie vero utique redimibiles, quum Emphyteutica, quæ laudimilia simul sunt, hanc retineant naturam, ut canon eorum & census maneat irredimibilis, nisi fiat cum consensu Domini. Adeoque vera est assertio, quædam bona Emphyteutica esse non Laudimilia, & quædam bona Laudimilia non

non esse Emphyteutica, atque qualitatem Laudimialem non pertinere ad naturalia & $\alpha\chi\omega\zeta\varsigma\alpha$ Emphyteuseos Jure Almannoru[m], sed ad accidentalia & $\tau\alpha\chi\omega\zeta\varsigma\alpha$ quæ inesse probari debent.

S. XXXIV.

Persepit hoc J. Meierus, in Collegio Argent, tit. si ager vecligalis b. 59. ubi breviter rem tangit: *Utrum autem hoc in omni Emphyteusi locum habeat? non videatur, quia de moribus (in primis Alsatia & Saxonia) non omne Erblehn, est etiam illico Erbschäzig. Vid. Carpz. p. 2. Constit. 39. defin. XI. Constit. Argentor. 5. May. art. 259. Senat. Min. 73.* Quæ Constitutio est illa ipsa, quam §. 27. atculimus. Constitutio autem Saxonica alias inedita, hodie etiam impressa cernitur, atque innuit, Emphyteus in qua tallem non esse Laudimialem, nisi consuetudine vel statuto aut literis speciatim hæc qualitas inesse probetur. Wehner Observ. Pract. lit. E. in eandem sententiam hæc habet: *Erschäzigie Güter, sunt predita, quæ olim quidem propria fuere, iis tamen tales servitutes impositæ, ut quories ager fundisq[ue] venditur, toties usura aliquid ad illum redeat, qui primus alienavit, quive jus illud servitutis justis causis suum fecit, instar Emphyteuseos, quæ vendita Laudemium exsolvit.* Usura autem [seu Laudemium] quæ [pro] venditione penditur, vocatur Erbschäz, hodie Handlohn, Lehenwahr, Lehangeld. Hac autem Erschäzigie Hoffgüter, differunt à Pradiis Salicis, quæ vulgo frey eigene Lehn nuncupantur. Goldast. Tom. 3. rer. Alaman. fol. 79. Hæc Wehnerus hausit ex Vadiano, quem supra adduximus, praterquam quod perperam Erbschäz pro Erbschäz legitur, vid. §. IX.

S. XXXV.

Huc etiam tandem Bernh. Bertramus, JC. Saxonum, producimus ex Franzio Cap. X. 76. de Laudem. qui rem ita refert: *Et in hoc sensu, quæ supra n. 63. de effectibus ex differentia, inter Emphyteus in & censuarium contractum ortis, diximus (quod scilicet Dominus Emphyteuticus habet jus protimiseos, census non item: de qua tamen quæstione vid. Dn. Praes ad n. Exerc. XVI. §. 84.) accipio & vera esse judico. Sane prius ita quoq[ue] videbatur Magnifico Viro Domino Bernhardo Beriram JCIO & Cancellario Saxo-Altenburgico*

ANICO

amico meo honorando, cum haut ita multo post hec scripta ad ipsum officii causa inviserem, & de praesentii materia cum ipso differerem, nempe quod apud se certum sit bona rusticorum omnia primitus censualia in primo genere census, adeoq; ab omni Laudimio prouersus libera fuisse, sed ex postfacto avaritia Dominorum & patientia subditorum Laudimia ad jussum illorum solventium, in Emphyteutica esse commutata, & inde etiam hodie non raro, num sint censualia, b. e. in pleno dominio rusticorum, num vero Emphyteutica, b. e. jure utilis dominii dubitari. Verum licet & metum fere in hanc sententiam hesitantem pertraxisset, matruis tamen de eo me cogitantem in priori sententia confirmavit, postrema ratio, paulo ante proposita. Nempe quod dum bona rusticorum plerique ex fenis nobilium concessa sunt, ut hoc clare Bald. vult in verb. libellarian. Cap. 1. de Pac. Constant. qnem refert & sequitur Zobel p. 2. diff. Jur. Civ. & Sax. 46. n. 10. & per se planum est, non possint esse in pleno ipsorum domino, quia non fuerunt in tali dominio concedentium. Linde certe plus juris in illos, quam quod ipsi habuerunt transferre non potuerunt.

S. XXXVI.

Ubi recte utique Bertramus negavit, rusticorum bona ab initio Laudemialia fuisse, et si censualia non insciatus. Nam ut supra ostensum, vetus jus Teutonicum Laudemia non agnoscit, nisi ex pacto expresso, aut per præscriptionem præsumpto: postea vero facta fuisse Laudemialia per avaritiam Dominorum atque quod addimus occasione Juris Justiniane in forum nostrum salvo jure patrio recepti. Itaque et si Augustus Elect. Sax. P. 3. Conslt. 30. ait: All die weil ißiger Zeit auch die schlechten Zinsgüter an vielen enden müssen in die Lehnen genommen werden, adeoque differentiam quam paulo antea retulerat, quod in bonis censiticis plenum translatum sit dominium, eo ipso elevat, ut & in Ordin. Judiciar. tit. 46. ea non agnoscitur; ibi: wirde sichs auch zutragen, daß in bonis Emphyteuticis oder censiticis der Dominus directus nicht zugleich Gerichts-Herr wäre. Tamen neque in Emphyteuticis neque censiticis regulariter Laudemium admittit in Constitutione antea laudata. Extremum istud recte Franzkius, alias dissentiens à Bertramo, contra vulga-

vulgarem Dd. opinionem afferit, bona ista censualia, Emphyticis & Laudemialibus opposita non esse in pleno dominio possessorum, talia enim sunt allodialia, sed censualia sive censitica itidem sapiunt naturam dominii minus pleni, atque beneficialium bonorum, sicuti etiam nostro jure & Emphyteutica & censitica *Lehn* appellantur, & investituram adinittunt. Unde porro optime notat eximius hic JCtus errorem vulgarem, differentiam constituentem in dominii pleni & minus pleni translatione: sed & Brocardicum: *Censum de re nostra, pensionem seu canons in dere aliena solvi d. Cap. X n. 55. 56.* Neque enim de omni cenu istud verum est, sed de illo tantum genere, quod proprio nomine *annuorum redditum* venit, & abusive à Canonistis census appellatur, observante Tabore de A. T. P. 3. A. 9. 2. Rectius porro differentia hodie inter Emphyteutica & censitica in Jure expellendi constituitur, ut docet Dn. Preses ad n. Exerc. XVI. 84.

§. XXXVII.

Unde porro sequitur, censum bonorum censiticorum æque ac Emphyteuticorum non redditum esse redimibilem per Constitutionem nostram, sed contineri ipsum inter census licitos ac concessos jure diviso & humano, neque enim ex pacto de pravitate usuraria suspecto oritur, sed ex proprietate alienatus, & reservativus est, namque non tantum tempore alienationis fuit res propria, in qua censum reservamus, sed manere etiam potest quoad dominium directum. Nam & servitus in re alienata, legata reservari potest, quia tum propria fuit, et si alias in re aliena id ita fieri non potest. Itaque Imp. l. 8. C. de rer. permul. Paulinæ rescripsierunt: *Eā lege rebus donatis Candido, ut quod placuerat, menstruum seu annum tibi praestaret: cum hujusmodi conventione non nudi pacti nomine censeatur, sed rebus propriis dictæ legis substantia muniantur, ad impletum tibi placitum, sicut populares, prescriptis verbis competit actio.* Unde non omnes census perpetui in hac nostra Constitutione prohibentur, sed tantum redditus anni presse ita dicti: unde limitate loquitur ipsa: *dass man SOLCHE ewige Zinsen wobaldigen möge, scil. mit welchen*

chen ein Gemeine Stadt und Burgherschafft dieser Stadt S. hoch belästiget und bewiraret worden. Et hæc restitutio subintelligitur, mox quum dicitur, daß man alle ewige Zinse seil, aller solcher. Itaque porro s. Were es aber 3. iterum de iisdem tantum redditibus Laudemialibus, non vero de censibus disponit, were aber ein solcher ewiger Zins darzu auch fürbietig und ehrschäzig / und das Gelt worum der erkaufft nicht befunden. Neque enim omnis generis Laudemiales census hæc Constitutione redimibiles facit, sed tantum redditus ex emtione venditione vel mutuo oriundos, itaque bona censitica Zins-Lehn-Güter, & que ac Emphyteutica, Erb-Zins-Lehn-Güter, excipi verius est.

§. XXXVIII.

Plane possunt utique etiam existere bona *allodialia*, que quemadmodum servitutibus onerari possunt, ita etiam aliqua præstatione sive pecunaria sive in fructibus, ut ex d. ult. C. de *permitt.* apparet: horum quidem præstationes sive census non possunt esse Zins-Lehn, sed simpliciter Zins, & bona mere censitica & allodialia, vulgo dicuntur die sich selbst Lehnem. Quemadmodum & liberæ personæ ad centum annum se obstringere possunt, salva libertate, de quo more Du Fresne *Glossar.* voc. *Oblatio* pag. 20. Atque anno 1526. coram Senatu nostro à Monasterio N. venditæ ædes antea censuales, liberæ fuerunt, reservata tamen unica præstatione: davon gont 10. Pfennig zu Zins Jährlich der N. sonst ledig eigen. Dann als uff dem Hause so uff solcher Hoffstatt etliche Zins gestanden, und das Huß zu verderplichen Abgang khomen und niedergefallen, hetten die Themen so sollich Zins gehüpft, daran Verzuck und Hand abgethan, als daß --- nun fürbaßhin sollen zu rechter eigenschafts weis zu haben --- als mit andern ihren eigenen Gütern. Quo etiam facit instrumentum venditionis de 4. Id. Junii 1406, super bonis immobilibus: *quod eadem bona non sint feodalia nullig, alias obnoxia vel obligata, praterquam pro tribus solidis & sex den. argentin.* Monasterio N. Sed sicuti servitus, invito prædio dominante, à serviente tolli non potest, ita nec crediderim tales quoque censum redditum redimibilem per nostram Constitutionem.

Illud

Illud tantum adjicio, conspicere etiam differentiam in formulis rerum Emphyteuticarum sive censiticarum, & rerum allodium redditibus annuis etiam Laudimialibus gravatarum: in his enim haec formula adhiberi solita in nostra Curia: *Coram nobis -- publice recognovit, se habere & proprietatis titulo possidere, vel ad eum justo proprietatis titulo spectare & pertinere ex successione quondam N. domum & aream super quibus N. N. buc usque habuerunt & abduc habere noscuntur redditus annuos & perpetuos X Sol. quos praesentare & ipsos dominum & aream in adiunctis bonis conservare promiserunt, Ipsiq; consentes ---- dominum & aream esse voluerint obnoxias & obligatus ---- pro ipsis redditibus: item: non esse dotales ades, nec alteri obnoxias.* Si paclum de Laudemio his accedere debuit, adjecta ista qualitas fuit hoc modo: *redditus perpetuos annuos & Laudimiales. & postea: quotiescumq; dominus ab una persona ad alteram ex parte possessorum mutatur, roties Laudemium Erschaz dandum quad redditus illos Laudimiales.* Idem observatum in redditibus Laudimialibus pro redēctione animalium, *Stelgerichte*, quibus animabus consideretur. At vero in Emphyteuticis aut censiticis in quibus dominium minus plenum cernitur, omittitur talis, titulus possidendi, itemque hypothecationis clausula, & recognoscit possessor habuisse & habere dominum directum redditus perpetuos & Laudimiales] in his vel illis xdbus. conf. §. XLVII.

§. XXXIX.

Satis igitur jam comprobatum arbitror esse, Emphyteutica bona jure Alamann. & speciatim quoque Argentoratensi, non esse sua natura Erschazica, Laudimalia, sed & dari Erschazica seu Laudemalia, quæ non sunt Emphyteutica, id quod erat demonstrandum. Quamobrem bona Erschazica, sive Laudimalia sunt, ex quibus debetur Laudinium, *Erschaz*. Laudinium vero est Quantitas certa ex alienatione & concessione honorum hoc onere affectorum, persolvenda. Etsi communiter pars pretii ex L. ult. C. de Jur. Emphyt. definatur, quod & Franzkius Lib. 2. sequitur, idem tamen ingenue futurum Cap. XXIII.n.17. Laudemium proprie non esse partem pretii, ac pretium atque Laudinium ex diverso fonte deberi.

§. XL.

Causa efficiens *Remota* non immerito, ut aliorum pactorum & conventionum, ad Jus Gent. & Civile refertur, ac speciatim Alamannorum. Causa vero *Propinqua* hujus juris sunt contrahentes per *conventionem*, eamque expressam regulariter qua convenit, ut hæc vel ista bona debeant esse. Laudimialia, in hoc vel isto casu, potest tamen per longi temporis possessionem & præscriptionem etiam obtineri, ut Constitutio nostra dilucide probavit: qua quidem non jus proprium ac peculiare Civium nostrorum hic constituit, sed imo Jus *vetus commune* Alamannorum, fortassis tunc ab Advocatis, Juris Justiniane callidis in dubium vocatum, & ex alienis principiis expositum, declaravit firmavitque. juris autem communis nostri id esse, antea diffuse disputatum, vid. §. XXVII. Itaque hoc Jus non tantum inter Cives sed & extra Civitatem nostram, imo ubique obtinere potest, ubicunque distincio est, inter bona *Emphyteutica*, *Erbgüter*, *Erbzinsgüter*, *Zinslehn*, & inter bona Laudimialia, *Ehrschäzige*.

§. XLI.

Denique *Causa Proxima* est ex parte possessoris alienatio, de qua diffuse Franzk. Cap. 14. lgg. & resignatio ex parte Domini vel petitoris, consensus, concessio, immisso (unde alicubi appellatur *Anleit*) vel investitura regulariter, potest tamen quandoque à Lege vel superiore consensus suppleri ut Constitutio nostra §. XXVI. declarat. Conf. Franzkium contra Bacchovium disputantem Cap. V. n. 17. & de suppleto Lege consensu contra Amadeum à Ponte Cap. VII, 43. lgg. Atque *scopus* & *finis* constituentium & introducentium hanc qualitatem Laudimialem est, ut per hanc præstationem *recognoscatur* novus possessor dominium directum vel quocunque tandem *jus superius*, à quo jus acquisitum dependet, unde regulariter non alienanti, sed acquirenti incurrat hæc præstatio, ut mox dicemus. Conf. Franzk. contra A. Fabrum hic pugnantem Cap. VI, 7. Denique simul ab agentibus, & à Domino cum-

cumprimis intenditar quoque argumentatio utilitatis ex domino directo, unde alicubi appellatur Ergetzung: quum alias canon annuus soleat esse exiguis. Sed quum hic avaritia Dominorum & uitatem soleat transcendere, compescenda fuit à Justiniano.

S. XLII.

Materia & genus bonorum, quibus inhæret qualitas Laudemialis, ut etiam ex dictis apparet, varium est. Unde nec Franzkius in sua definitione mentionem Emphyteuseos expressit, idque ut ait: *Aliibus nostris accommodate, quibus Landemitis ab Emphyteuticis bonis, ad feudalia, censualia, & alia plura extensum est. Cap. 2. fin.* Unde divisionem deinde derivat in Laudemium civile & consuetudinarium, illud in Emphyteuticis ex Lege Justiniane, hoc in aliis quoque bonis, *Cap. 3.* Res porro quum sint vel immobiles vel mobiles, de priori genere nulla est dubitatio, & quidem sive sint Emphyteuticæ, sive censiticae, sive feudales, sive eisam allodiales, ut §. 37. modo diximus. Quamvis vero Franzkius *Cap. IX. n. 35.* annuos redditus ex censu bonorum Emphyteuticorum removeat, quod nec solo cohærent, nec in hunc finem ut meliores fiant, & excolantur, concedantur; atque *Cap. XI. n. 41.* censem ab anno reditu in hac materia distingendum esse, tradat: satis tamen constat ex usu fori atque ex nostra Constitutione postrema de hoc argumento superius allata §. 28. ostendimus, etiam jus annuorum posse esse Laudemiale, nempe Ewige erschätzige und fürbietige Zinsen, vel Ewig Ehrschätziges Gelt. Itaque confirmavit Senatus nostræ Civitatis anno 1378. cambium seu permutationem fundi, cui redditus annuus inhæsit, *acht unze Strasburg Pfennige Glets die Erschätzig sind, als man uns seit.* Ubi *un-*
cia idem significat quod libra hodie; & accipiuntur promiscue, ut patet ex literis Emphyteuticis an 1384. in Curia Argentiniensi confessis: quanquam in alio vetustiori documento donationis area Laudemialis Monasterii S. Francisci in Argentina anno 1284. duas libras censum in viginti quatuor uncias divisas, reperire est. An. 1466. confirmavit Judex curiae Argentinae aliud cambium, quo permutati redditus anni perpetui

Laude.

Laudemiales & præexhibitoriales 30. sol. den arg. usualium
in certa domo & area pro iisdem obligata & hypothecata.

§. XLIII.

Forma, ut diximus in definitione Laudemii, consistit in quantitate certa præstanta certis casibus, quantitatis autem cum plures sint species, quæ vel numero, vel pondere, vel mensura censentur, & inter eas potissimum pecunia caput efferat, itaque & Laudemium maxime in pecunaria pensione consistit: arbitramur tamen quod sicut merces seu pensio in locatione conductione & in Emphyteusi canon, etiam in fructibus naturalibus consistere potest, ita etiam contra naturam rei non esse, si Laudemium quoque in fructibus naturalibus constitui posse præstarique afferamus. Hæc quantitas etiæ Lege Justinianæ definita est, quinquagesima scil. pars pretii vel estimationis h. e. tanta summa, quæ quinquagesimam pretii conventi partem exæquat, aut si alienatio non per emtionem venditionem, sed per alium sit titulum, res estimanda est, & quinquagesima juxta istam estimationem à peritis consilianda. Sed quum jus Laudemii, des. Erschæz, non demum cum Jure Justinianeo sit receptum, neque etiam in ipso foro Romano ista quantitas observatâ sit, unde Leo Imp. Nov. XIII. abrogare necesse habuit morem oeconomicorum, qui pro renovatione Emphyteuseos Ecclesiasticæ στόλεικα nulla certa & statuâ quantitate, sed quomodo iis pro ipsorum avaritia visum sit, exegerunt, cavens, ut certâ quantitate ad duplum Emphyteutici vel ligalis solvatur: itaque nec in nostro foro eadem quantitas observari cernitur, alicubi vigesima, alibi decima, sexta, duodecima, quinta & subquinta, quæ de re Franzkius Cap. XXIII. 13. sqq. Frequentatur hodie vigesima, quippe quæ quantitas etiam in re usuraria pro legitima habetur. Alicubi tamen duplex receptum est Laudemium duplente Lehnwähr, ubi quantitas illa communis in duplo præstatur, idem Cap. 3. n. u. In nostra Civitate quinquagesima habet locum five duo de centum.

§. XLIV.

§. XLIV.

Effectus proprius Laudimii constituti est ex parte Domini jus & actio, ex parte possessoris prastantis est obligatio. De jure videamus, idque vel *acquirendi* retinendive, vel persequendi. Acquiritur regulariter Laudimum *Domino directo*, & *proprietario*, vel saltem Domino hujus juris si id forte in re prorsus aliena, instar servitutis aut oneris realis sit constitutum: etiam si ille intra tempus legitimum non consenserit in alienationem, quam ampliationem cum pluribus Dd. defendit Franzk, cap. VII, 43, contra Jasonem & Amadeum de Ponte, ac nostra sanxit Constitutio, allata §. XXV. Excipitur tamen, si proprietarius usumfructum rei laudimalis alteri concessit, tunc usufructuario acquiritur Laudimum, quippe qui proxime concedit Emphyteutae novo omnem utilitatem rei laudimalis alienatæ, quæ alias ad ipsum usufructuarium pertineret, si jure protomiseos denegaretur consensus in alienationem à Domino, ad quem investituræ jus nihilominus pertinet, post Molinaum Franzk, Cap. VII. 64. sgg. contra Hottomanum, idem est de colono, §. is vero, Inst. de R. D. Franzk, ibid.

§. XLV.

Acquisitum jus Laudemii quo *remedio persequatur* Dominus, vel cui istud quæsitum cernitur, dubitatum fuit? Atque quum cautus Advocatus remedia possessoria pro petitoris semper soleat amplecti, si fieri poterit, itaque & hic remedia talia de quasi possessione hujus Juris intendi poterunt, siquidem de ipso jure Laudimii quæritur: si de solutione tantum morosa, mandata executorialia locum habent, & processus executivus. Petr. Frider. de possess. L. 2. C. 67. n. 7. Franzk. C. 24. 36. In petitorio vero quæ actio competit, magis anceps est disceptatio inter Dd. de qua Franzk. C. 24. Atque actionem *personalem* competere, extra dubium arbitramur, quum supra demonstratum sit, regulariter jure nostro ex conventione Laudimum deberi, quæ conventio quum adjiciatur vel Emphyteusi, vel Contractui feudalí, vel censitico, vel rei alodialis

dialis alienationi, semper actio ex illo contractu hic competit, cui hoc pactum adjicitur, quemadmodum v. g. ex pacto redimenti venditioni adiectum, actio venditi competit *l. 2. C. de part. inter emt.*

§. XLVI.

Alii conditionem ex Lege Justinianea competere assertunt, quod negat Franzk. d. *C. XXIV.* 25. quia per illam Laudemium non sit introductum, sed jam ante ipsum dudum in viridi fuerit usu, & quantitas tantum fuerit definita. Verum hoc rem non confidere videtur, eo ipso enim quod certam ad quantitatem restrinxerit hanc præstationem a Dominis antea per avaritiam exigentibus, non ex legitima consuetudine, etiam ipsam rem ac jus laudimii sive quinquagesimæ introduxit demum ac approbavit: alioquin saltem condicō ex moribus haberet locum. Ipse vero Franzkius *Conditionem ob causam*, hic competere asserit, ob causam factæ scil. investituræ, quia investitura sit causa Laudimii, nec antea prorsus deberi. Atqui superius *Cap. VII.* 43. defenderat, deberi etiamsi non consenserit Dominus, multo magis ergo et si nondum investiverit: atque aliud est deberi, aliud exigi posse. Porro posse Laudimum deberi etiam ex re non feudalī, supra fuit assertum, ergo non præcise ex investitura. Causa itaque saltem est et receptio & recognitio qualisqualis, juris atque oneris. Et quid tandem est *Condicō ob causam?* certe nullam eo nomine Prætor prodidit: sed Conditionem quidem sine causa, aut ob causam, quæ cessat, vel etiam repetitio dari, causa non fecutā, sed nulla harum hic locum invenit. Contra ea actionem realē de Laudimio negat Franzkius competere, neque rei vindicationem, neque confessoriā utilem, neque hypothecariam, *C. 16. n. 123. & d. C. 24. n. 4. 7. 9. 19.* Sed rationes ejus non persuadent, quin pro diversis casibus cum A. Fabro & Amadeo de Ponte, Molino & aliis etiam reales actiones competere, asseramus. A. Faber *L. 4. 43. def. 1. Carpz. P. I. C. 28. def. 53.* Atque non jure tacita hypothecæ tantum laudemia gaudere in concurso creditorum, sed & privilegio prælati-

(41.)

nis astruit Richt. de Privileg. Cred. m. 2. n. ii. conf. Dn. Präsid.
Exercitat. ad m. XLVI. & Exercit. XXXIII. 41.

§. XLVII.

Dispiciendum porro est de obligatione & possessoris & rei ipsius Laudimialis. Obligari personam possessoris vel ex eo constat, quod actio detur personalis Domino contra possessorem Laudemiale ex conventione utriusque. An vero ipsa quoqueres sit obligata, alia questio quidem est, sed ex antea dictis quoque ejus decisio patescit, quod scil. sicut res ipsa dicitur Laudemialis, erschæzige Gut, erschæzige Zins, ita revera quoque res hoc modo obligata est ex jure in re hærente, sive ex specie dominii ipsius rei, sive juris, sive ex hypotheca saltem tacita, ita ut contra tertium quoque possessorem detur actio de Laudimio restante. A. Fab. Cod. l. 4. t. 43. def. 1. § 4. Itaque & successor in re Laudemiali tenetur ob hanc realem obligationem, V. Speidel. inspec. Jur. voc. Lehndienst. Porro etsi regulariter omnis obligatio ad heredes transmittitur, quemadmodum & obligatio canonis & census annui: quia tamen Laudium non quotannis, sed in casu duntaxat alienationis debetur, itaque liberi heredes ad Laudimii præstationem ob mortem patris non tenentur, quippe qui parentibus ita succedunt, ut habentur pro una persona, & dicuntur Doctoribus in prima investitura contineri. Vid. Franzk. C. VIII. quod etiam expresse Elector Sax. in Constitutione iuperius allegata de Laudemio, ut juris communis recepit. Nisi aliud moribus aut pastis sit introductum, ibid. Franzk. n. 114. Vicissim ex mutatione & alienatione dominii directi nullum debetur Laudemium, quia hoc tali casu factum ex alienatione Emphyteuta aut possessoris Laudemialis non versatur, nisi & hic consuetudo aut conventione aliud induxit, idem ibidem n. 125.

§. XLVIII.

At nostro Jure obtinet ut & si in instrumentis Laudimiali-
bus liberi comprehendantur, tamen ab ipsis Laudemium sit
solvendum ex divisione, sed ex mutatione Dominorum non
F solvi.

solvitur: id quod ex veteribus instrumentis liquet. A.C. 1280
tale confectum:

Reinboldus Stubenberg Magister, Coss. & Universitas Civium Argentinenorum, notum facimus universis N. pro se & suis heredibus concessisse aream suam sitam --- Wolframo & E--- uxori fruendam & possidendam in perpetuum zu eim rechten Erbe ab eisdem & suis heredibus, pro anno censu duarum 13. Que area si vendita, donata, legata, permittata, vel quoconque modo fuerit alienata, pactum tamen predictum ratiun permanebit & firmum. Et si Possessores Area adficia sua vendere vel obligare voluerint, primo debent Domino Curiae exhibere, & ei, si competens pretium sicut aliis homines dare voluerit, assignare, sin autem, adficia sua vident alii cum pacto suo, fraude & dolo penitus circumscriptis. Receptores autem aree dabunt Chrschaz, quiores ex parte illorum qui sunt Hofesassen predicta Area de una persona ad aliam quoconque titulo fuerit devoluta, sed proper mutationem Dominorum qui sunt Hofeherrn, non dabuntur Chrschaz. Predicti etiam W. & E. unus post mortem alterius non dabit Chrschaz, sed si ad secundas convolaverit nuprias, tunc dabit Chrschaz. W. quoque predicte E. uxori sue duas partes adficiorum supra dicta Area in donationem proper nuprias, ipsa vero ex converso tertiam partem ebrundem adficiorum ipsi W. in dotens rationabiliter assignavit, cum omni solennitate, qua circa dotis assignationem consuevit ant debuit adhiberi.

Et de Anno 1345. Coram nobis -- N. Dominus directus ut afferuit, aree -- site -- confessus -- recognovit, se dictam aream pro se & ejus heredibus universis locasse & concessisse dicto N. in Emphyteusis perpetua, quod vulgo dicitur, zu eim rechten Erbe, pro censu anno XII. Solidorum denariorum Argent. sine qualibet augmentatione census ejusdem solvendi & trahendi juxia consuetudinem Civitatis Argent. videlicet dimidiacionem partem dicti census Festa Nativ. B. Joh. B. & residuam dimidiacionem partem Festa Nativ. Domini.

His adjetis conditionibus expresso de consensu N.N. predictorum, quod si N. (emitor) iam directus & -- Successores, ius Emphyteuticum redditum vendere voluerint; quod primo Domino directo area predicte, qui

qui pro tempore fuerit, venditionem exponant. Et quoties ex parte possessorum area prescripta de una persona ad alteram devoluta fuerit & translatâ, toties dandum est Laudimium Erschaz vulgariter appellatum, ex permutatione vero Dominorum directorum aree jam dictâ nunquam dandum est Laudimium pranotatum.

§. XLIX.

Atque ne hoc juris tantum paetitii videatur, tanquam jus commune civitatis anno 1322. instar legis publicatum fuit, ut supra §. 20. vidimus. Plane quandoque per pactum adiectum hereditis prospicitur. Instrumentum Emphyteuticum magistri Hospitalis an. 1317. Hanc verlichen ... Hovestat umbre siben unze Pfennig Zinses. Von der Hoveherrn Wand'ung git men auch dann kein Erschaz. Wollent aber die hovefessen ir recht an der hoveseite und an dem buvve druffe verkouffen, so sullen sie es uns oder den die denne hoveherrn sint, von erst bieten, wvollent wir oder die, die denne hoveherrn sint nisi also viel darumme geben als ander Liiste, siê sullen das geben zu kouffende andern Lüten, und wer es kouffet git Erschaz, und dannoch also dike also es verendert wirt von der hovefessen wegen also dike git man Erschaz una sol men es auch des setzen mit dirreselben gedinge. In alio instrumento Emphyteutico Curia Argentin. an. 1363. hac conditione apposita, quod ipsi conductores & eorum heredes de domo & area prescriptis non debeant de re Laudimium Erschaz vulgariter dictum. Ex permutatione quoq; Dominorum directorum domus Laudimium similiter non erit dandum. Quandocunque autem domus & area extra heredes dictorum conductorum ad manum extraneam transfruntur, tunc dandum erit Laudimium.

§. L.

Sed de eo queritur, utrum possessor vetus vel novus, alienator vel acquirens ad Laudimium sit obligatus? Communis est Dd. sententia, novum possessorem pro imperata possesso ne ad id obligari, quorum cumulum adfert & sequitur Franzk. Cap. XVI, 114. & Cap. XXII, 30. Alii tamen venditorem aut alienantem obligari ad illud, malunt, quos Ferdinandus de Castro

*Palao Part. ult. Oper. Moral. Disput. X. Punct. XIII. si non sequitur quidem diserte, sed ait: Illud virtum est, à quocunq; salvatur; ex pretio dato vel accepto pro Emphyteusi & meliorationibus detrahendum esse. quod si est, in effectu vendorum semper solveret, quod Barbosa Repert. J. Civ. & Can. Surdum decil. 200. sequutus concedit, si confuetudine locorum ita observetur. Alii distinguunt inter *Lehnsgeld* & ir.ter *Consensgeld*, illud novum possessorum, hoc venditorem solvere, ut partem pretii, itaque obliterari in Episcopatu Augustano, testatur Speidelius Spec. Jurid. voc. *Lehnz diensi*. atque conser quæ supra §. VI. diximus. Accedit nostra Constitutio §. XXV. allata: ubi de oppignorante dicitur, quod ad Laudimium ipse obligetur. Sed speciale hoc est in oppignoratione, præsertim quoties Emphyteutam novum nolit recipere Dominus, & consensus à Magistratu suppletur. Cæteroquin ratio juris facit, ut acquirens novus obligari statuatur, non tantum jure Justinianeo, sed & nostro, quia pro receptione & investitura penditur. Nisi aut consuetudo, aut patrum aliud disponat, quomodo alicubi uterque alienans & acquirens vel ex parte æquali vel inæquali præstat, de illo testis est. *Speidelius d. l.* de hoc Franzk. Cap. XXXIII, 14.*

§. LI.

Denique ut Laudemii obligatio & actio præscriptione acquiritur, ut supra dictum, ita amittitur quoque ac interit præscriptione XXX. annorum 1.3. C. de præscript. 30 vel 40 an. sed duplex visio hic est, aut enim exactio Laudimii debiti ex facta alienatione aliqua neglecta dicitur per tantum temporis spatium, & res dubio caret, h.e. non potest postea peti Laudimium olim debitum, aut si petitur, eliditur actio per exceptionem præscriptionis. At si postea novus alienationis casus existit, actio præscriptione an elidatur, queritur? Sunt qui negant, & quidem ex eo fundamento, quasi exactio Laudimii sit res meræ facultatis, ut opinatur Ditherus ad Besold. Tb. Pr. quum tamen & exactio & præstatio non sit meræ facultatis sed juris & obligationis ex contractu. Alii ideo negant quia præscriptio requirat actuum pluralitatem, ut habet Franzk. Cap.

Cap. ult. n. penult. Sed hæc neque in priori casu cernitur. Res eo redit, utrum una sit obligatio, cuius vi & præteritum & præsens (ita enim rectius quam futurum dicitur, cuius nulla est peritio) Laudimium petitur, an vero tot obligationis, quot casus Laudimiales existunt? Itaque eadem decidendi ratio etiam hoc applicari potest, quæ in decisione similis controversiæ de annuis censibus aut redditibus cernitur, de qua accurate Ferdin. de Castro Palao *Parr. ult. Tr. ult. Disput. VI. Punct. 33.* Etsi itaque præstationes Laudimiales casibus obvenientibus plures sint, unica tamen illarum est obligatio ex primæva conventione orta, & unica qualitas rem reddens Laudimialem; Igitur etiam unica præscriptione eadem extingui potest, quæ præscriptio incipit ab eo tempore, quo cessavit possessio Laudimialis à præstatione Laudimiali bona fide. Et hæc sententia est Bulgari, Rogerii, & Joannis, quam sequitur Accursius in *Gl. ad L. cum notissimi. 7. §. ult. verb. cuiusq; anni C. de præscript. XXX. Conf. C. de quarta. 4. X. de præso. itemque l. sist:chum. 16.*

S. i. t. de V. O.

§. LII.

Inter cognata potius, quam ad Synonyma referendum videtur RELEVIVM, quippe quod non ipsum Laudium significat, neque ex alienatione Emphyteutæ oritur, sed est præstatio heredum, qui quum veteri jure feudali non poterant succedere in feudis, caducam & incertam hereditatem feudalem relevabant, soluta certa summa vel pecunia vel aliarum rerum, pro diversitate feudorum, quod deinde etiam ad feuda non militaria extensum, etiam usque ad annum feudi redditum qui *Annate* nomine venit speciatim, ac in successoribus etiam non hereditariis cernitur. Sed de Relevio *H. Speelmanus*, & plura Du Fresne in *Gloss. Th. Cragius lib. 2. Feud. Diegel. XX. p. 291.* Regiam Majestatem lib. 2. C. 71 sq. & ibi *Skenaus*, ut & ad Legem *Malcolmi R. c. 1.* Alio nomine vocatur etiam *Accipitum* & *Accipitragum*. Du Fresne ex *Regesto Constabularia Burdegalensis*: *Accipitraga qua alibi Relevia dicuntur*. Et reaccipita, quæ ex mutatione Domini dantur. Latius tamen patet accipitum, nec tantum ab heredibus præstatur, sed & ab aliis acquirentibus bona accipitorum conditione ac onere affecta ut idem plu-

ribus ostendit. Vocatum Relevium etiam alio nomine *Adhoas*, de qua du Fresne *Glossar.* & Jac. de Ajello *Neapolit.* lib. sing. *Hereotum*, de quo Lambardus in *Glossario*: *Hereotum, Saxonice heregat, vocabulum ab here, quod exercitum sonat, effidum, atq; armamenta, sive belli instrumenta significat.* Constat sane *Hereotum* his pri-
mis temporibus nomine apparatus bellici Dominis tributum, id quod etiam nunc aliquibus in locis observatur. Datur quidem & hodie pa-
sim *Hereotum*, sed longe ab hoc nostro diversum. Imo quod hac nostra
memoria Gallice rellet dicitur, veteris illius hereoti vim obtinet. Plu-
ra & accurata de eo H. Speelmannus antiquam chartam pro-
ducens: Ego Godricus concedo Deo & S. Benedicto Ramefia, post dies
meos terram meam de Tiringona: ita duntaxat, ut Abbas ejusdem Ec-
clesie Aednothus frater mens, adquietet eam de servitio, quod Here-
geat Anglice, Latine relevatio hereditatis dicitur, que ab heredibus li-
beris post mortem parum, Dominis solet impendi. Sed addit: *Rele-
vium & Hereotum saepe ex uno eodemque predio reddi deprehendimus.*
Hereotum etiam ubi heres non succedit in patrimonino: sed unquam Relevium. Discrimen tamen fuisse inter *Hereotum & Rele-
vium*, notat Du Fresne ex Bracloni lib. 2. C. 36. §. 1. *Fit qua-
dam prestatio que non dicitur Relevium, sed quasi, sicut Heretum, quasi
loco Relevii, & quod dari debet aliquando ante sacramentum fidelitatis
aliquando post & quæ plura in hanc rem ibi habentur. Ex
quibus etiam liquet Origo rerum expeditoriarum
de jure Saxonico, des Heergereths.*

Sed satis pro nostro instituto.

DE censu scribis GAMBSI, dat censu
honores,
Atque TIBI magnas referent LAUDE-
MIA laudes.

Sic
Suavissimo Domino Contubernali
gratulatur

Gustavus Philippus Faber, U. J. C.



94 A 7367



Sb.

VDT7

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
Inches

AB

DISSERTATIO SOLENNIS
DE
**BONIS LAUDE-
MIALIBUS,**

QUÆ

von

Lehn- und **S**erbzins-**G**ütern

vocamus,

Occasione Constitutionis de Anno 1322.
in hac Repub. editæ, conscripta.

Quam

D. T. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

*VIRI NOBILISSIMI, AMPLISSIMI,
CONSULTISSIMI ET EXCELLENTISSIMI*

DN. JOHANNIS SCHILTERI, JCTI
Celeberrimi, Reipub. Patriæ Consiliarii Primarii Splendi-
dissimi, & Professoris Honorarii meritissimi in Illustri Argentoraten-
sium Universitate, Patroni, Præceptoris & Promotoris sui,
devote semper devenerandi

Publico Eruditorum Examini ventilandam
proponit

Die Apr. A. S. R. M D C XC.

PAULUS GOTHOFREDUS GAMBS.

ARGENTORATI,
Literis JOH. FRIDERICI SPOOR.
R. 1713.